Exercitatio academica de sensu naturae circa curationes incongruas et de noxa exinde proveniente ... / a Christiano Friderico Richtero.

Contributors

Richter, Christian Friedrich, 1676-1711.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle an der Saale.

Publication/Creation

Halae : Orphanotrophii, 1706.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/uttd2epa

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

EXERCITATIO ACADEMICA
DE

SENSU NATURAE CIRCA CURATIONES INCONGRUAS ET DE NOXA EXINDE PROVENIENTE,

Ubi

Ex indole Curationis intrinſecæ ſeu autocraticæ, quæ ab ipſa Natura perficitur, nec non ex ſenſu, quo illa circa medicamentorum adminiſtrationem gaudet, oſtenditur, quod Curationes extrinſecus adhibitæ congruere debeant cum iſta ipſius Naturæ energia: quibus demonſtratis fons curationum incongruarum detegitur, & quæ ex illo inconvenientium curationum ſpecies promanent declaratur, ſimulque noxa, quæ ex qualibet earum fluit, tum generalis, tum ſpecialis & ſpecialisſima recenſetur, nec non methodus medendi, qua damna illa evitari poſſunt, ſubjicitur

dirigente

GEORGIO ERNESTO Stahl/
D. & P. P.

in forma Diſſertationis inauguralis habita

a

CHRISTIANO FRIDERICO RICHTERO
Sorav. Luſat.

HALÆ, Orphanotrophii, A. M DCCVI.



PROOEMIUM.

Il hominibus pretioſius, nil carius eſt, quam vita: hoc ſtudium eorum, hic labor eſt, ut vita conſervetur. Nec homines tantum, qui mortales ſunt, vita adeo delectantur; ſed ipſe DEUS, Conditor vitæ, vitæ etiam ſummam habet rationem. Quare cum primum mortis, ac homicidii exemplum contingeret, divina ſtatim auctoritate inter homines conſtitutum fuit, ut homicidæ grauisſimas darent poenas, & capite plecterentur.

Neque vero ille tantum, qui de induſtria & frivole hominem interficiebat, in homicidarum numerum referebatur, ſed etiam, qui occaſionem tantum, & locum ad vitæ interitum dabat, ille reus habebatur.

Tantam ipſe DEus in vita conſervanda adhibuit providentiam, ut ne ille quidem a culpa abeſſet, qui, quantum in ipso erat vitæ pericula non avertebat, nec eos, qui in vitæ discrimine verſabantur, ſaltem admonebat.

Ne itaque & ego eadem hac culpa conſtringar, cavendum pro virili exiſtimavi, eoque fine præſcriptum titulo argumentum ad diſſertationem hanc inauguralem delegi. Succurrebat enim animo, in

quanto discrimine ægrotantes versentur, non tantum propter morbi ipsius virulentiam, sed sæpe etiam propter opem illam, quæ in morbis medendis adhibetur, incongruam, pro impedimento potius quam emolumento, pro enecatione magis quam medicatione reputandam.

Quamobrem amore erga proximum compulsus, hanc, de sensu Naturæ circa Curationes incongruas & de Noxa exinde proveniente, Disputationem elaborare in animum induxi, tum ut mihi ipsi, quid in morborum Curationibus vel agendum vel omittendum esset, eo magis inculcarem, tum aliis ad materiam hanc adeo necessariam adhuc accuratius ponderandam, auctor existerem. Neque dubito, quin multi veritatis & hominum salutis amantes occasione hac ipsis præbita usuri sint, eoque allaboraturi, quo innumera fere vitæ pericula, quibus ægrotantes propter curationes inconvenientes, experientia teste, obnoxii sunt, tandem amoliantur.

Ingenii vero, quod tenue existimamus, exiguarumque nostrarum virium memores, Deum humillime imploramus, ut sapientiæ ac veritatis lumine nos suffulciat, quo omnia, quæ scripturi sumus cum veritate & experientia conveniant, & ad nominis sui gloriam, ægrorumque emolumentum feliciter cedant.

IN.J

I. N. J.

CAPUT I.

DE

Operatione Naturæ Medicatricis adversus morbos necessaria:

SEU

De Curatione intrinseca.

§. I.

CUm mortalium corpora inter mortis tela continuo versentur, periculoque corruptionis suborituræ nullo non tempore exposita sint; admiramur providentiam sapientissimi Conditoris, qua spiritum humanum, corporis sui rectorem, ea adornavit sapientia & facultate, ut corpus adversus injuriam ab innumeris fere rebus, qvibus ne carere quidem aliquatenus homo potest, ipsi imminentem defendere, læsionesque amoliri valeat. Quod vero Natura hac virtute gaudeat, totus ille membrorum apparatus testatur, qvæ in hunc finem Natura ipsa construxisse videtur, ut depurationi humorum ceterarumque partium inserviant, quorum & figura & structura & situs exacte huic intentioni respondet, ususque eorum quotidianus confirmat, cum talia per ea quotidie excernantur, qvæ mortem inferre possent. Impuritates enim, quæ per alvum, per pectus, nares, per urinam & per continuam exhalationem expelluntur, sunt non tantum superflua, sed noxia etiam, si diutius, quam par est, in corpore retineantur, recrementa. Nec minus dubitamus, quin omnes fere motus, ut vocant, vitales eo tendant,

Natura corpus conservat a corruptione.

per membra expurgandis sordibus dicata.

per motus vitales

dant ,vt ſcilicet corruptionis impetus a corpore averruncetur.

§. II. Hanc Sui corporis defenſionem provida Natura non illo tantum ſecretionis,qvæ inqvinamentorum eſt, excretioniſque actu, ſed potiſſimum motu ſangvinis ceterorumque humorum progreſſivo perficit, qvippe, qvo fluiditas, calor, mixtioque eorum integra conſervatur. Humores enim, ſi partes, qvibus illi conſiſtunt, ſpectes, promptiſſime primo in lentorem & ſpiſſeſcentiam, utpote primum corruptionis gradum; deinde vero in ulteriores gravioreſque læſiones cito ruunt. Ideo hæc omnia, qvæ de ſecretione, excretione reliqviſque motibus dicta ſunt, abſque intermiſſione, diu noctuque, in qvolibet homine, etiam ſano, fiunt, ob nullam aliam cauſam, niſi ut Corruptela præcaveatur.

& ſangvinis circulationem.

§. III. Has operationes, vitæque, ad qvam collineant, conſervationem, Animæ, eique ſoli, adſcribimus, eamque qvatenus vitæ præeſt naturali, Naturam vocamus: non obſtante mechaniſmo, omnium & ſingularum corporis partium, qvem ipſarum ſtructura & forma, inprimis vero omnium partium admirabilis ſitus & cohærentia oſtendunt, qui vero non in proprio ipſarum & activo qvodam motu conſiſtit. Multæ enim inveniuntur machinæ per ſtructurã & formam ſuam ad certum qvendam motum aptæ, qvæ tamen ipſo motu, niſi aliunde adveniat, deſtituuntur. Globus, qvatenus rotundus, mobilis qvidem eſt; motu vero caret: rotæ, qvibus utuntur opifices, rotari neceſſe habent; omniaque inſtrumenta artificum opificumque aptitudine qvadam ad motum certum edendum, mechanica qvidem gaudent, motus vero ipſe ab opifice pro ipſius lubitu impertitur. Qvod ſi qvis nonnullas machinas laudare vellet, qvæ absque motore peculiari, ſemper

Ab anima pendent motus.

non a Mechaniſmo,

qvi in corporis partibus affirmatur,

ſemper præſente, motum ſuum vel â pondere, vel ab impulſu, vel â preſſione cujuſdam materiæ recipiant, ut horologia, molæ & hydrauli, non tamen ab iſtis ad corpus humanum vivum valeret argumentatio. Etſi enim, v.gr. cor, cum annexis arteriis per totum corpus diſperſis machinam qvaſi referat hydraulicam, propterea tamen inde non probari poteſt, motum ſanguinis vel aeris preſſione vel alia vi externa effici: qvemadmodum aquam in machinæ ſuæ ductibus â tali vi externa motam videmus: cum ex ea Cordis & arteriarum ſtructura hoc tantum pateat, fieri quam commodiſſime poſſe, ut ſanguis ê corde, adjuvante hoc partium mechaniſmo ad omnes corporis partes certi cujusdam agentis opera propellatur, neutiquam vero propria quadam virtute id fieri. Mouendi enim ratio, qua ſanguis in corpore pellitur, ab illa, qua aqua in machina hydraulica mouetur, toto coelo differt: nam ſanguis, peculiari motu, per diaſtolen, in cor recipitur, & alio iterum motu, per ſyſtolen, ê corde propellitur; cum aqua immotis organis in machinam tantum irruat.

§. IV. Deinde internæ illæ vitalium aliorumque motuum corporis mutationes ſponteneæ, ceteræque quæ illos comitantur circumſtantiæ immateriales, *temporis* ſcilicet, quo quisque motus peragitur, *electionis* organi, quo quilibet perficitur, *proportionis*, qvæ in materiæ movendæ motu tenetur, imo *voluntatis*, qua motus nonnunquam vel negliguntur vel efficiuntur, hæ inquam, rationes immateriales, ſi recte perpenduntur, immateriale nobis monſtrant agens internum & intelligens, Animam ſcilicet, utpote quæ circumſtantias has immateriales obſeruat & dirigit, machinamque corporis â reliquis prædictis machinis prorſus diſtinguit.

quod probatur I. ex circumſtantiis motuum immaterialibus

2. ex arctisſimo vinculo motionum animi & vitalium.

§. V. Hoc magis adhuc eluceſcit ex inſigni accurataque convenientia, & indiſſolubili, quamdiu vita durat, nexu, quo motus animi & vitales inter ſe vincti ſunt. Æque enim ac oculus alter ſine altero non poteſt moveri; ita nec animus, dexter quaſi animæ oculus, quo ſpiritualia reſpicit, unquam turbatur, ut non eodem momento alteratio quædam in Natura, tanquam ſiniſtro animæ oculo, qui ad corporalia quidem defixus eſt, ſeu in motibus vitalibus, exoriatur; Unde etiam appetitus, digeſtio ciborum, excretio urinæ, bilis, alvi, ſudoris univerſusque humorum motus ſimul ſenſibiliter afficitur. Reliqua, quæ pro ſententia noſtra dici poterant, brevitatis cauſa omittimus: quæ vero omnia ab Excell. Dn. D. Præſide publice jam argumentis firmisſimis ſtabilita ſunt.

Eadem natura corporis conſervatrix & medicatrix,

§. VI. Eſt itaque Natura corporis ſui *conſervatrix*, motuum vitalium præſes, quos, ut paulo ante dictum eſt, propterea producit, ut corpus integrum, & a læſionibus imminentibus inviolatum, i. e. ſanum conſervetur. Quodſi vero nihilominus noxa ſeu corruptio quædam oborta ſit, aut proxime oritura videatur metuenda, tunc eadem Natura a Deo conditore corporis ſui conſtituta eſt *medicatrix*: Uterque enim actus nempe conſervatio, quæ in ſt. n. contingit, & medicatio, quæ in ſtatu p. n. inſtituitur, ratione intentionis & effectus, unus idemque eſt. Conſervatio enim illa nihil aliud eſt, quam perpetua corporis medicatio; & medicatio, quam Natura adhibet, eſt nihil aliud, quam corporis conſervatio. In illo actu, quem corporis conſervationem nominamus, mixtionis præſervatio, impuritatumque ſecretio & excretio intenditur; In hoc vero, quem medicationem appellamus, mixtionis correctio impuritatumque ſecretio & excretio procura-

curatur. Ex hoc intelligi potest, unum eundemque esse utrorumque actuum auctorem.

§. VII. Ut autem eo minus dubitemus, vim hanc, morbis in corpore ortis medendi, spiritui humano esse concessam; id ipsum etiam in brutis demonstrabimus. His enim non instinctus tantum inditus est, quo corporis alimentum & reliqua ad vitam necessaria quærere stimulantur; Sed data ipsis etiam est potentia quædam sese defendendi, injuriamque avertendi: in quem finem ejusmodi organis, ceu armis, nempe cornubus, unguibus, aliisque instrumentis instructa sunt, vel in horum defectu tanta sunt astutia, ut, quæ in promtu sunt, præsente quodam periculo efficaciter uti sciant, quid? quod adversus læsiones, corpori illatas, morbosque medicinam applicare, ab instinctu illo intrinseco sint edocti. Ita de urso sauciato referunt, illum muscum vulneri adhibere sanguinisque effluxum hac ratione cohibere. Canes gramen devorant, vomitumque sibi movent; canes vulnerati locum adfectũ sæpius lambentes cernuntur, quo fit, ut vulnus non purum tantum mundumque servent, sed vi etiam salivæ suæ ipsius coalitionem promoveant.

quod in brutis æque ostenditur.

§. VIII. Cum ergo hæc de naturæ etiam brutorum insita sanandi virtute sufficienter testentur, non est, quod dubitemus eodem beneficio Naturam etiam hominum, & multo quidem magis, frui. Res enim ipsa postulare videbatur, ut Creator hominum (nisi hoc suum opus eodem fere momento, quo illud creasset, iterum interire vellet) ea ipsos sapientia & virtute instrueret, qua non tantum vitam conservarent, sed ad metam, ab ipso sibi præfixam producerent. Universum enim hominum genus brevi extingueretur tempore, nisi mortis executio hac ipsis indita virtute suspenderetur. Porro sapientiam

Vis medicata naturæ probatur

1. ex rei ipsius necessitate.

2. ex certo ægrotantium desiderio

tiam hanc Naturæ implantatam colligimus etiam ex illo desiderio, quo ægrotantes nonnunquam in cibum peculiarem, aut in qvamcumque aliam rem feruntur, quarum usu sanatos fuisse exempla docent. Nec semper ab ejusmodi desiderio abest ratio: nam e. gr. quidam febri tertiana laborans halecem appetebat illoque comeso convaluit: sal enim marinum, quod halecibus inest, ipsi digestivi loco inservire potuit. Alius ægrotans cretam desiderauit, quæ absorbendi facultate prædita est.

3. ex somniis, quibus nonnulla medicamenta edocta,

Possem huc etiam referre somnia, quibus nonnunquam ægrotantes adficiuntur, & medicinam quandam edocentur: qua de re multa exempla in vulgus nota sunt. Si artis medicæ primordia recolimus, non sine causa auguramur, quod plurima medicamenta tunc temporis hac ratione fuerint patefacta, & quod Natura ipsa multarum medicinarum auctrix sit. Vid. in *Lang. Oper. Medic. Histor. Medic. pag. 7.*

4. ex historia remediorum.

Immo tam manifestæ & evidentes sunt multæ admodum Naturæ operationes medicatrices, ut ipsos medicos multarum curationum methodum ab ea didicisse, aut ejus saltem imitatione instituisse, negari fere nequeat: Id quod de venæ sectione, sacrificatione, quas ab hæmorrhagiis spontaneis cum euphoria succedentibus desumpsisse videntur, factum esse existimamus. Curationes per vomitoria purgantia, diaphoretica, Apophlegmatisantia &c. a Naturæ motibus mutuatos esse, vero est simillimum. Sunt, qui de Clysteribus memorant, eorum inventionem observatæ Ciconiarum medicationi deberi, quæ dum alvi obstructione laborant, aquam sibi adminiculo rostri in alvum inspergere visæ fuerint.

5. ex ipsa experientia

§. IX. Confirmantur hæc, quæ de Αυτοκρατία Naturæ diximus, multis exemplis, imprimis plebejorum.

qui,

qui, acutissimis sæpe morbis correpti, absque medicaminum ope, solo intrinsecorum motuum, qui violentiæ morbi â Natura opponuntur, auxilio conualescunt. In multis Turciæ Persiæque locis Medici nulli, hominesque medicinarum plane ignari sunt; qui quando ægrotant, soli Naturæ energiæ commissi liberantur plerumque, quanquam negandum non est quam plurimos succumbere; quod sine dubio propterea accidit, quia regimen, quo morbus vult gubernari, ignorant, subsidioque, quo non nunquam â medicis subueniri Naturæ necesse est, destituuntur. Conf. Disp. Dn. D. Præsidis de Avtocratia Naturæ.

§. X. Causam ergo ejusmodi sanationis, quæ absque auxilio, extrinsecus adscito, perpetratur, si inquiramus, manu quasi ducimur ad considerationem eorum motuum, qui in morbis animad vertuntur, qvosque indolis optimæ, (ut supra probatum est) deprehendimus. Propterea etiam motus hosce â morbi essentia plane separamus, eosque non ad morbum, proprie dictum, referendos, nec â causa morbi productos esse, sed ab ipso spiritu vitali, seu Natura medicatrice, propter morbum extingvendum effici affirmamus. 6. ex motibus in morbis excitatis.

§. XI. Videamus v.gr. symptomata febrium præcipua & ordinaria, nimirum sanguinis motum, calorem, sitim, excretionem urinæ & sudoris &c. Sane hæc omnia, tantum gradu diverso, etiam in st. n. in quocunque homine obseruamus, suntque iidem ipsi motus, qvos noxæ, mixtioni corporis semper imminenti opponi supra §. 2 ostendimus. Quemadmodum igitur hi motus pro morbo nequaquam haberi possunt, qui potius fulcra sanitatis sunt; ita nec dicti motus febriles pro morbo sunt reputandi; imprimis cum illi vigente adhuc morbo, abesse, imprimis, ex motibus febrilibus. qui motus neque morbi ipsi.

etsi nunquam salutariter, possint. Quem enim latet, quod, qui febribus malignis ægrotant, ii nonnunquam neque de calore, neque de siti, neque de aliis tali morbo familiaribus symptomatibus conquerantur, quanquam vel vehementissimo contagii fermento sint infecti, id quod autem utplurimum mortis subsecuturæ indicio esse solet: è contrario vero spes major effulget, si superius recensita symptomata, debito tamen modo & ordine appareant.

neque modificantur a materia morbifica.

§. XII. Deinde non semper motus illos ad materiarum seu impuritatum aut præsentiam aut qualitatem, aut quantitatem metiri possumus, quod tamen fieri deberet, si mous illi a materia morbifica, tanquam effectus producerentur; sed potius secundum naturæ indolem activitatem & apprehensionem, de iis judicandum est.

sed ab agentis indole & apprehensione.

Ratione *indolis* quidem pro temperamenti diversitate, diverse motus illi instituuntur, & utplurimum animi habitum sequuntur. Ita v. gr. in Cholericis, secundum indolem hujus temperamenti omnia, quæ in morbo contingunt, vehementiora sunt, & cum majori impetu irruunt, omniaque symptomata facile mutantur, novamque quasi morbi faciem exhibent: qvæ tamen tardiora apud Melancholicos esse animadvertuntur, constantiusque perdurant, immo sæpissime pertinaciter insistunt. Apud Sanguineos prompte & cum vigore omnia succedunt, ast tamen absque insigni vehementia; maximaque omnium proportio, cum materiæ qualitate conueniens, in hoc temperamento observari solet. Apud Phlegmaticos vero, motus segniores sunt & difficilius, propter temperamenti pigritiam, ad finem rite perducuntur: hinc etiam istorum restauratio lenta tardaque subsequitur. Ratione *activitatis* cholerici & sanguinei ad morbos acutos

pro-

proniores, qui istis familiariores sunt, quam phlegmaticis, utpote ad lentos procliuioribus. Ratione *apprehensionis* morbi fiunt vehementiores, ubi sensus quidam exquisitior prægressus est; aut ubi mens imprimis ab iracundia fuit commota; aut ubi Natura periculum aliquod grave sibi imaginatur, aut læsio parti cuidam imminet, quæ ad vitam conservandam summe, immo absolute est necessaria, quanquam materiæ qualitas non adeo maligna, quantitasque ipsius exigua est.

§. XIII. Jam non dicam de recursu motuum periodico, qui certo tempore contingit, ubi nonnunquam cum impetu motus insurgunt, deinde iterum mitescunt, & tandem plane cessant, remanente nihilosecius in corpore materia, ut vocant, morbifica, utpote, quæ ordinarie non in principio morborum, sed quando jam motus illi deferbuerunt, in declinatione vel morbi, vel saltem paroxismi excernitur: quod profecto manifesto esse potest argumento, motus morbo illi familiares ortum minine a materia quadam peccante sumsisse, sed productos fuisse, ad materiam illam vel subigendam, vel excernendam. Hinc rationi admodum est conforme, paroxismos illos mitescere vel cessare, postquam pensum suum Natura quasi absolvit. 7. Ex recursu motuum periodico.

§. XIV. Saluberrime etiam motus illos, & cum eo effectu, cujus gratia suscepti sunt, contingere, non medici tantum practici, sed vulgus etiam observavit. Ita de febribus tertianis judicant, motus illos non esse supprimendos; conducere enim ad sanitatem, si rite absolvantur. Et quis damna etiam ignorat, quæ ex præmatura motuum illorum suppressione proveniunt? Idem ex ceteris etiam febribus, nec non ex hæmorrhagiis, multisque aliis morbis clarissime demonstrari posset, nisi in 8. ex salutari motuum effectu.

ea, quam citavimus, de Αὐτοκρατία naturæ dissertatione jam satis esset expositum.

Curatio intrinseca statuitur ex antecedentibus.

§. XV. Ex quibus omnibus itaque colligimus, Naturam motibus suis corruptionis declinationem, læsionumque restauratiosiem, in morbis machinari, quam motuum oppositionem nos ab effectu merito *curationem intrinsecam* nominamus. Ut autem nullum plane dubium relinquatur, quin motus hi immediate ab Anima in materiam influant, iterum notamus nexum illum, de quo supra §. V. egimus, quo motus animi cum illis, qui in morbis oboriuntur, tanquam ex uno fonte profluentes, ita sunt copulati, ut a se invicem separari nequeant. Exinde fieri solet, ut quemadmodum status animi tranquillus & constans, statum morbi uniformem, tranquillum, placidumque conciliat; ita animi perturbatio eandem, quæ tunc in mente observatur, indolem, motibus morbo junctis imprimat. Qua de re multa verba facere supervacaneum est, quia per se manifesta videtur: Quis enim inficias ire potest, gravissimas turbas ab iracundia, terrore, moerore & aliis animi pathematibus in ægrotantibus excitari. Quid? quod solæ meditationes profundæ tantum valeant, ut morbis mutationes nonnunquam insignes possint inferre. De his omnibus, quæ diximus, experientiam testem allegare, eaque exemplis valde frequentibus confirmare possemus, nisi jam extra omne dubium posita essent. Conf. & hic, quæ superius §. 12. de convenientia seu harmonia morborum cum animi indole diximus.

Hujus curationis finis duplex.

§. XVI. Finis harum Naturæ operationum, seu curationis intrinsecæ ultimus, respectu corporis, quidem est ipsius restitutio; intermedius vero, respectu materiæ malignæ, seu causæ morbificæ, est ipsius correctio, secretio

&

& excretio. Hæc in nonnullis morbis omnia coincidunt, ut in febribus; in aliis vero, vel unum tantum eorum, nempe correctio, ut in spissitudine sanguinis; in aliis duo simul, correctio scilicet & excretio, ut in inflammationibus, intenduntur. Has intentiones exsequitur Natura motu humorum progressivo, partiumque solidarum tonico, eoque vel universali, ut in febribus, vel particulari, ut in inflammationibus aliisque morbis particularibus; gradu vel insigniori, ut in acutis, vel remissiori, ut in lentis morbis, prout vel morbi status id exigit, vel Natura ad agendum prompta aut excitata est. Si Natura motus hos rite prosequi & feliciter ad finem potest perducere, sanitatis oritur restauratio, omnesque motus p. n. sponte cedunt.

Ordo & proportio

§. XVII. Ut hanc Naturæ ἐνέργειαν & in operando ordinem, quem servat, exemplo quodam illustremus, demonstrari id in febri tertiana avtocratica optime potest. In primis enim hujus febris diebus, excretionem huic morbo propriam, vomitum nempe, vel Diarrhoeam contingere, nisi ventriculus impuritatibus forte turgeat, ordinarie non observamus: sed instituitur primo materiæ, v. g. viscidæ, ventriculo primisque viis tenaciter adhærentis, quædam *correctio* & separatio. Hanc Natura ipsa effusione larga humiditatis calidæ ex universo corpore collectæ, & ad ventriculum deductæ, perficit: id quod durante frigore contingit; quippe tunc humores ab exterioribus corporis partibus, ad interiores, maxime ad ventriculum recesserunt, ut pallor faciei, inanitas vasorum, & angustia præcordiorum indicant: Inprimis vero etiam in hunc finem suscipitur, effusio illa salivæ in ventriculum deglutiendæ copiosa, quæ sub frigore contingit, cum nausea, ceu manifesto indicio, tum

Eadem illustrantur exemplo.

abhorrescentiæ Naturæ adversus impuritates illas ventriculum replentes, tum voluntatis, seu intentionis illas exernendi. Est vero actus hic ad corrigendam muciditatem rationi omnino conformis. Muciditatem enim in aqua calida resolvi & liquescere, ad minimum in tantum, ut non ita tenax adhæreat, quilibet experiri potest, si albumen ovorum aquæ calidæ immittat, inprimis, motu quodam accedente. *Separationem* hujus materiæ motu illo succusationis, qui febricitantibus, sub frigoris sensu familiaris est, facilitari, non absque causa existimamus: movetur enim hac ratione corpus & materia in ventriculo emollita ab ea parte, cui adhæret, dimovetur, ac ad excretionem apta redditur. Rebus ita feliciter gestis, sub tertio vel quarto paroxysmi insultu subsequitur vel vomitus vel Diarrhoea, seu *excretio* materiæ, motibus prægressis ad talem excussionem præparatæ, cui deinde sensibilia totius febris decrementa succedunt. Posset idem in aliis etiam morbis, inprimis criticis, demonstrari, nisi hæc, quæ dicta sunt, ad confirmandam thesin sufficere crederemus.

Curationis intrinsecæ necessitas absoluta.

§. XVIII. Hæc Naturæ adversus morbos operatio non utilis tantum, sed absolute necessaria est; nulla enim sanitatis absque his motibus internis restitutio fieri potest; qui tamen neque a medico, neque ab ulla medicina, nisi mediate, & Naturam excitando ac stimulando possunt produci; id quod in sequenti capite, quo de medicamentorum operatione acturi sumus, copiosius explicabimus.

CAPUT II.

DE

Curatione extrinseca sensum Naturæ afficiente.

§. I.

IN medici facultate situm non est morbos profligare, nec ipsi incumbit sanitati ægrotantes restituere, qui manum tantum obstetricem Naturæ adversus morbos luctanti admovere, & medicamenta, quibus illa vere juvatur, debito tempore & modo subministrare potest, regimen simul indicans, quod morbo illi, quo ægrotus laborat, conveniat: hoc enim rite transacto, munere suo defunctus est, quanquam ægrotantis restitutio non semper subsequatur. Quemadmodum enim motus vitales, quibus oritura noxa antevertitur, in statu naturali; motusque morbos concomitantes, quibus noxa orta avertitur, in statu præternaturali, ab ipsa natura producuntur, quod in capite antecedenti demonstravimus: ita idem etiam de motibus, medicamentorum usum seqventibus, utpote ad eundem scopum collineantibus, asserendum esse, perpetuo horum cum præcedentibus concentu, mutuaque eorum conspiratione freti, arbitramur, sanationem itaque per medicamentorum usum inductam non tam medico, qui applicavit, sed Naturæ, quæ admisit, adscribentes.

Medicus minister tantum naturæ est.

§. II. Medicamentorum operationem ab ipsa Natura gubernari modus et ratio, quibus virtutem suam præstant, satis superque confirmant. Quanquam enim mechanici quid in eorum operatione nonnunquam subesse, quod a naturæ arbitrio minus dependet, fateamur: id tamen

Medicamentorum operatio natura est.

tamen tanti minime eſt, ut univerſa operandi ratio nomen exinde recipiat, cum potius â potiori fieri debeat denominatio. Præcipua enim operatio, qua ſanatio proprie perficitur, uti quidem infra tradituri ſumus, non tam eſt à medicamentis, quam ab ipſa potius Natura, quæ medicamentorum opera ad finem ſuum pro arbitrio utitur.

Mechanica medicamentorum operatio refutatur.

§. III. Si medicamentorum quantitatem, qua adhiberi illa uſu receptum eſt, conſideramus, nullam prorſus inter hanc & inter efficaciam, quam edere debent, proportionem animadvertimus mechanicam. Solent enim, qui medicamentorum operationem ex regulis mechanicis deducunt, morborum etiam ſymptomata eidem rationi, nempe mechanicæ, adſcribere; in quem finem certam in quolibet morbo ſupponunt materiam, ex particulis ad operationem mechanicam idoneis conſtantem, quibus illi figuram, vel hamoſam, vel angularem, vel aliam aliquam affingunt, qua materia præſente effectus illos & ſymptomata neceſſario ſubſequi affirmant. Quemadmodum ergo morbifica talis materia non niſi in magna copia adeſſe præſumi poteſt; præcipue in illis morbis in quibus omnes ferecorporis partes ſunt affectæ, ut in morbis arthriticis, epilepticis, febribus, aliiſque: ita etiam medicamenta, quæ ad morbos illos extinguendos, ſecundum illam ſententiam adhiberi debent magna quantitate eſſent applicanda; quæ tamen ab iis ipſis, qui opiniones has fouent, doſibus, ſi materiam ſuppoſitam ſpectes, exiguis præſcribuntur, cum forte ab experientia ſint edocti ſtatum corporis, vitæque naturalis oeconomiam ea in majori copia non admiſſura eſſe. Quare non video, quomodo hæc medendi ratio cum theoria tali cohæreat. Manifeſtum enim eſt, ſi medicamentum vim ſuam edere

1. ex negata proportione, quæ intercedere debebat inter quantitatem medicamenti ejuſque effectum a medico intentum.

pe-

deberet mediantibus particulis ſuis, certam figuram præ ſe ferentibus, figuræ earum particularum, quibus læſio corpori infligitur, exacte oppoſitis; neceſſe foret, ut tanta ipſius medicamenti moles, ipſis opponeretur, quæ copiæ illarum particularum exacte reſponderet, ita quidem, ut quælibet particula materiæ morbificæ, v. gr. hamoſæ, particulam ſuam oppoſitam in medicamento inueniret, â qua poſſet obtundi. Si quis ergo vi hujus doctrinæ voti ſui compos fieri vellet, in adhibendis medicamentis, non ſcrupulorum pondera, aut ſi liquor eſt, non guttæ ſufficerent, ſed unciarum, immo librarum moles requireretur.

§. IV. Porro ſi medicus ægrotantem ſecundum leges mechanicas in integrum reſtituere ſuſciperet, competeret ipſi, ut de numero earum particularum, noxia figura præditarum, & in corpore latentium, certus ſit, ut doſin medicamenti proportionatam adhibere valeat. Et quoniam magna etiam medicamenti pars, inprimis quod terreæ eſt conſiſtentiæ, muciditatibus ventriculi, inteſtinorumque inuoluitur, & cum recrementis alui ordinariis iterum abjicitur, adeoque non integrum ad humores pertingit, perſpectum medico eſſe deberet, quantum medicamenti hac ratione pereat, ut illud poſſit ſupplere: quod ſi enim illud deficeret, non poſſet effectus exoptatus ſequi; ſin vero nimium ipſius adhiberet, tunc vi ejusdem doctrinæ, ad cujus normam curationem inſtituit, noxam corpori nouam inferret, cui deinde novum iterum medicamentum, accurata itidem proportione ac menſura opponendum eſſet, quomodo vero infinitus medico labor, ægrotanti autem morbus & dolor exoriretur. 2. Ex ipſis Mechaniſmi legibus.

§. V. Graue etiam & illud dubium eſt, quod ſententiæ huic de mechanica medicamentorum operandi 3. Ex effectu.

ratione merito opponimus, nempe quod morbi mechanismo huic ficto cedere recusent. Cum enim juxta hanc hypothesin curationes morborum infallibiliter, & leui quasi negotio succedere deberent, ac eo semper certissimo effectu, ut v. gr. pistor panem, aut sutor calceum conficit; nihilominus tamen observamus, morbos hac ratione non curari citius, sed potius, si medicus secundum hujus doctrinæ manuductionem medicamenta semper vellet administrare, tanta ex curatione nascitura essent inpedimenta, quæ restitutionem longe difficiliorem redderent, quam si ægrotus soli Naturæ energiæ relictus fuisset. Proinde & sæpius accidit, ut *illi*, qui huic sententiæ favent, experientiæ testimonio nonnunquam cedentes, theoriam hanc ad tempus quasi seponant, & tunc quidem felicius contra morbos agant, quod consilium etiam â Sydenhamio in præfatione sua ejusmodi theoreticis suppeditatur.

4. ex applicatione medicamentorum,

§. VI. Plausibilis satis & curiosa ejusmodi theoria tamdiu apparet, quamdiu circa conceptus generaliores tantum versatur: si vero ad speciales in praxi clinica occurrentes casus confertur, tanta statim effulget rerum diversitas, ut omnis ejusmodi speculationis color atque species subito euanescat. Si efficaciam opii perpendimus, cujus unicum tantum granum omnes arthriticorum dolores ad tempus certum potest suspendere: quod tamen non in patrocinium eorum, qui opio in perniciem ægrotorum abutuntur, dictum velim) quomodo talis effectus cum figura particularum ipsius possit conciliari; & quomodo hæ numero paucæ particulæ, particulis illis noxiis, per totum corpus dispersis sufficere possint, sane non perspicio.

& quidem Opii,

& quorunda m adstringentium

§. VII. Eodem fere modo medicamenta quædam adstrin-

ſtringentia, v. gr. Crocus Martis adſtringens comparata ſunt. Hujus enim unum vel duo grana ſubjectis paulo ſenſibilioribus exhibita, ſudores per univerſum corpus erumpentes compeſcere ſolent. Econtrario nobis diaphoreticum quoddam medicamentum notum eſt, cujus pars grani dimidia ſudorem per totum corporis ambitum elicere poteſt. Sane haud intelligo, quænam proportio mechanica intercedat inter medicamentorum horum effectum, & exiguam illam quantitatem, qua adhibentur. Imaginari ſibi difficillimum eſt, quomodo exigua talis materia multis humorum libris intermixta, vim mechanice quid mouendi poſſit retinere: & incomprehenſibile penitus eſt, quantum illius materiæ ad ſingulas corporis partes deferatur, & quomodo quantitas illa fere incomprehenſibilis, quæ uni parti communicatur, non tantum unam alteramue, ſed omnes totius illius partis fibras ita poſſit afficere, ut earum omnium vel contractio vel relaxatio ſubsequatur. Quis vero eſt, quem lateat, vim v. gr. medicamentorum adſtringentium in particularum ſuarum collectione ac concentratione ſitam eſſe; ſi autem diſſipentur, vel diſpergantur, facultatem eorum vel perire, vel infringi. Si e. gr. una doſis, nempe viginti aut triginta guttæ tincturæ terræ Catechu liquori duodecim, ſedecim vel viginti librarum infunderentur, virtus ipſius ſtiptica penitus periret: ſi enim liquor ille ad vulnus quoddam externe adhiberetur, vim adſtringendi nullam exhiberet.

§. VIII. Nec eundem effectum medicamenta ſemper edunt, quod tamen neceſſe foret, ſi eorum operatio ratione mechanica abſolveretur. Quis enim inficias ire poteſt, vomitoria nonnunquam loco vomitus purgationem per alvum efficere, purgansque medicamentum in-

§. Ex incoſtanti & interdum contrario medicamentorum effectu.

terdum movere vomitum. Adstringentium opiatorumque usum in hæmorrhagiis profusiones sæpius vehementiores sequi, experientia testatur. Crebra medicamentorum assumtio ipsis tandem omnem vim derogare potest, ut illum effectum, quem in principio sensibiliter ediderunt, non amplius præstent. Hoc enim est, de quo ægrotantes nonnunquam conqueruntur: Sie hätten anfänglich in dieser oder jener Artzney eine sonderbare Krafft verspüret/welche sie aber so mercklich nicht mehr empfänden/nachdem sie solche eine zeitlang gebraucht hätten. Quare & cuique suadendum est, ut, nisi necessitas postulet, medicamentis non utatur, quo eorum efficacia, urgentibus morbis, eo præsentior euadat. In Turcia opium frequentissime, & majori, quam nos, copia assumunt, neque tamen tantus effectus inde sequitur, qui ab uno tantum grano in nostris locis proficiscitur. Nouimus hominem, qui, cum singulis diebus magnam opii quantitatem deuoraret, loco somni seu torporis, prout ipse affirmauit, vigorem ex illius usu percepit.

6. ex imaginatione circa medicamentorum usum.

§. IX. Nonnunquam operationes medicamentorum animadvertuntur, quanquam ne corporis machinam quidem attigerint. Sunt enim, qui si vel vomitorium, vel purgans adhibere debent, aut si modo alium tale quid assumentem cernunt, vomitu statim seu purgatione corripiuntur. Neque desunt, qui â sola imaginatione, ac si purgans ipsis fuisset adhibitum, tali motu afficiuntur, quem purgans illud, ubi sumitur, producere solet.

7. ex curatione sympathetica.

§. X. Huc etiam curationes, ut vocant, sympatheticæ referuntur. Quemadmodum enim de earum efficacia, quam in corpore exserunt, nemo hodie dubitare potest, ita non videmus, quomodo earum operatio cum the-

theoria illa recepta cohærear, & qualem particularum figuram in hoc casu prætexere velint. Hæc enim medicamenta vel corpus plane non tangunt, vel si ad illud pertingant, fit tantum leuis quidam externus contactus, ita ut neque materialiter quid de ipsorum mole pereat, neque impuritates in corpore latitantes ullum cum ipsis congressum patiantur. De bufone exsiccato, sub brachio hæmorrhagia laborantium posito, practici testantur, illum ubi incalescat, sangvinis fluxum cohibere. Si sangvinis eorum, qui hæmorrhagia narium affecti sunt, pars adhuc calida, linteo, vel charta recepta, igni injiciatur, sangvinis fluxum, simul ac sanguis ille fuit combustus, sedatum vidimus. De pulvere illo sympathetico, qui ex vitriolo Veneris paratur, quis ignorat, illum in sistenda hæmoptysi non inefficacem esse: quanquam circa ipsius usum nihil obseruandum, nisi, ut portio quædam hujus pulveris patinæ indatur, affusa aquæ simplicis quantitate: in hanc massam ægrotans sangvinem exspuere jubetur, qui cum illa bene miscendus & cum vase in calore mediocri reponendus est.

§. XI. Nec silentio hic prætermittere possumus qualitatem pulveris cujusdam sympathetici, cujus usus in Belgio, ac in quibusdam Germaniæ locis non infrequens est. Hoc enim pulvere pro lubitu, nunc sudor moveri nunc vero vomitus, vel purgatio cieri potest: nonnullique etiam morbi eo solo extinguntur. Cum urina ægrotantis puluis ille miscendus, & in calore temperato collocandus est, quo facto operatio ipsius in corpore ægrotantis sese exserit, & tamdiu durat, quamdiu in caloris illo gradu conservatur. Præ omnibus his hoc inprimis admiramur, quod ille corpora etiam longissime remota aggrediatur, virtutem in iis eandem, ac si præsentia essent exserendo. Quanquam enim ægrotus aliquot milliaria

8. In specie ex pulueris cujusdam sympathetici usu & effectu.

a medico sit sejunctus, distantia tamen loci efficaciam medicamenti nihil imminuit: sufficit enim, si patiens urinam medico transmittat, medicusque pulverem hunc ipsi, debito modo, applicet, ægrotantem certiorem reddendo, quo forte tempore operatio exspectanda, & quamdiu duratura sit, ut regimen ab ægrotante operationi tali conforme servari possit. simile quid & nos cum medicamento tali hactenus tentavimus, eodem quidem cum superiori, quoad operandi modum, successu, non tamen cum pari semper fructu in omnibus illis, in quibus commendatur, morbis, nisi quod in hæmorrhagiis, in dentium doloribus manifestas virtutes sæpius deprehenderimus.

Curationem sympatheticam ex effluviis vim habere negatur.

§. XII. Ne tamen quis ad effluvia forte recurrat, iisque certas particulas atque figuras affingat, quæ corpus ægrotantis repetant, effectumque illum sympatheticum edant; eandem rem examinabimus, insignem difficultatem, quam in hac sententia invenimus, allegaturi. Annon effluvia talia, utpote materialia, in itinere absorberentur? aut sicum effluviis aliorum corporum coirent, immutarentur? quis effluviis illis subjectum illud ac individuum, quod ingredi debent, indicare posset? Quis copiam eorum effluviorum posset comprehendere, quæ requireretur, si athmosphæram, aliquot milliaria expansam implere deberent, ut ad corpus ægrotantis possint pertingere? annon moles illa effluviorum, si colligerentur, totam massam, ex qua exspirarunt, pondere longe superaret, â cujus tamen pondere, si vase clauso tenetur, nihil perditur.

Usus medicamentorum situs in ciendis sensibus,

§. XIII. Ne vero nimis prolixi in refutanda thesi contraria evadamus, pedem hic figimus, argumentis hujus doctrinæ, ut quidem existimamus, de mechanica medicamentorum operatione sufficienter discussis. Nos vero nostram de eorum operatione sententiam explicaturi, neque ad suspectos, ut

quod probatur

illi

illi ſunt, in praxi medica conceptus, neque ad alias occultas qualitates provocare opus habemus: manifeſtum enim eſt, QVOD MEDICAMINA EFFICACIAM SUAM, PRÆCIPUE SENSUM VITALEM AFFICIENDO EXSERANT, pro cujus ſenſus excitati diverſitate ipſa natura hanc illamve operationem adminiſtrat. Hoc non tantũ de iis medicamentis, quæ in corpus aſſumuntur, ſed de reliquis etiam, amuletis ſcilicet & ſympatheticis, ſive ægrotus ſit præſens, ſive abſens, adhibitis, affirmamus. Quod vero ſenſus rerum, etiam abſentium, locum in homine inveniat, non eſt, quod dubitemus: ſæpius enim accidit, ut ſi Cajus, Titii conſangvineus in alio plane terrarum climate degens, vel morbo corripiatur, vel omnino moriatur, Titius inde angore ac triſtitia valde ſenſibili afficiatur, ex quo ſenſu ille, ab experientia edoctus, judicat, in gravi quodam periculo Caium verſari. Hunc animi ſenſum vulgus ita exprimere ſolet, daß ihm das Hertz ſchwer ſey/ es müſſe ſich wol iemand von den ſeinigen in einer ſchweren Kranckheit befinden/oder wol gar geſtorben ſeyn. Quemadmodum igitur hunc ſenſum motus illi præternaturales, anguſtia & compreſſio quædam cordis, Beklemmung des Hertzens/ als ob es zerſpringen wolte/ immo nonnunquam dolor ſeqvuntur: ita non aberramus, ſi etiam in hoc caſu, ubi particula quædam ipſius corporis, v. gr. ſanguis vel urina, quanquam extra corpus conſtituta, a medicamento quodam afficitur, eadem explicatione utamur, quod ſcilicet ex illo contactu, qui particulæ huic ab homine deſumtæ, & medicamento ſympathetico intercedit, ſenſus quidam ad hominem illum redundet, & Natura deinde pro ſenſus illius manuductione, motus huic ſenſui conformes inſtituat. Experientia etiam quotidie

ex amuletis & sympatheticis.

tidie comprobat, curationes per sympathiam felicius apud eos, qui sensibiliores sunt, succedere.

2. ex experientia

§. XIV. Eodem modo ea etiam medicamenta, quæ in corpus assumuntur virtutem suam præstant; sensum nempe in Natura excitando, quo illa, vel refocillatur, seu confortatur, vel sopitur seu tranquillatur, vel absolute tantum ad motum certum invitatur, quem deinde sensum motus certi in corpore seqvuntur. Hoc enim ordinarium in corpore nostro est consectarium, quod motus sensui seu irritationi succedant. Qui vomitum, purgationes, cordis motus extraordinarios, motusque convulsivos materiæ cuidam vellicanti seu stimulanti tribuunt, quid aliter agunt, quam quod usu medicamentorum sensum provocari, motumque subsequi affirment, quanquam de sensu motuque isto plane aliter, quam nos quidem sentiant. Cum itaque communis etiam medicorum sententia non adversus nostram thesin, hac in parte, pugnet, non est, ut in eo copiosiores simus. Quo quis subtiliori instructus est sensu, eo facilius a medicamentis afficitur: hinc insignis illa differentia oritur, ut medicamentum in uno corpore facilius quam in alio, & minori dosi datum effectum suum edat. Quoniam ergo cholerici sensu gaudent præ omnibus acutissimo, hinc est, quod dimidia doseos ordinariæ pars ipsis sufficiat, ad evidentem medicamenti cujusdam efficaciam percipiendum: contra vero cum sensus apud paralyticos valde torpeat, fortiorem requirunt stimulum, dosesque medicamentorum auctiores.

§. XV. Conspirant cum hac nostra explicatione, omnes illæ, quas de medicamentorum operatione in antecedentibus tradidimus, observationes. Quicquid enim de dosium paucitate magnum effectum edentium §. 6.

& 7,

& 7, de operatione unius medicamenti, vel diversa vel contraria §. 8, de vi imaginationis in efficacia eorum vel alteranda vel augenda, & de eadem imaginatione, medicamenti munere nonnunquam fungente, §. 9. & tandem de curatione per sympathiam in seqq. diximus; annon hæc omnia sensum quendam in homine tactum involvunt? Certe cum medicamenta sæpius a corpore prorsus sint remota, intelligi nequit, motus illos sensum talem sequentes ab alio, quam intrinseco & ordinario motuum principio, natura nimirum, promanare?

§. XVI. Equidem inficias ire non possumus, quod etiam certo respectu medicamenta plurima immediate in corpus ipsum, ipsiusque mixtionem agant, & effectum quendam vi particularum suarum proferant, si in hunc finem sufficienti quantitate exhibentur. Quorsum omnia referimus, quæ vel insigni acredine, vel particulis multis sulphureis, resinosis, salinis, pollent. His quidem mechanicam operandi rationem, quam resolvendo, attenuando, produnt, non penitus denegamus: quanquam ad absolvendam curam hæc eorum virtus, uti superius demonstravimus, nequaquam sufficit; de quo morbi, quos vocant consuetudinales, & qui mera animi perturbatione cooriuntur, quibus itaque nulla sæpius materia corrigenda subest, testantur. Quod si ergo ab his, quæ dicta sunt, ad reliqua omnia vellemus argumentari, conclusio admodum foret particularis. Deinde, quanquam non negandum sit, modo dicta medicamenta operationem resolutionis vel attenuationis non nisi motu quodam posse perficere; non tamen hoc cum eo, quod superius de motu, medicamentorum usum sequente, statuimus, ullo modo pugnat: hic enim motus, qui ab ipsis medicamentis in ipsa humorum cra-

ex constanti naturæ synergia, ubi medicamenta mechanice videntur operari.

ſi perficitur, inteſtinus tantum eſt, qui nullis corporis organis indiget: propterea ejusmodi motus ſeu operatio ab illis motibus ſeu operationibus diſtingvendi ſunt, qui mediantibus quibusdam corporis partibus ceu organis, motibusque vitalibus, tonico humorumque progresſivo, utpote ab ipſa Natura oriundis, perpetrantur. Si vero motus hi poſteriores illis, ex ſola medicamentorum energia pronatis, ſuperveniant, ut plerumque fieri ſolet, a Natura ipſis voluntario adduntur. Nequaquam enim putandum eſt, ac ſi a medicamentis alterantibus ſeu corrigentibus, ſenſus Naturæ nullus moveretur: manifeſtum enim eſt acria, ſalina, ſenſum prolicere & irritare, (ut ex diureticis patet) ſulphureaque & reſinoſa ad ſudoris excretionem Naturam invitare. Quare operatio a talibus medicamentis quaſi duplex provenit, quarum una ab ipſo medicamento immediate dependet, altera vero ab ipſa Natura ſuperadditur; quanquam & prior ſæpius ſub præſidio quaſi Naturæ adminiſtretur.

ex arbitraria naturæ attentione ad ſenſationem affectam.

§. XVII. Quod vero de ſenſu, de irritatione aut ſtimulo, quæ a medicamentis Natura recipit, hactenus diximus, non ita interpretandum eſt, ac ſi motus ſubſequentes, vi illius ſtimuli, adeoque etiam mechanico quodam modo a Natura in corpus influant. Quanquam enim irritationis vis in Natura, æque ac in animo, magna eſt, nihilo tamen minus in arbitrio ipſius manet repoſitum, utrum ipſi obedire velit, nec ne? Nam quod Natura nonnunquam medicamentum quoddam aſſumtum & ſtimulum prorſus negligat, experientia monſtrat: quod in iis morbis accidit, ubi conſueta medicamentorum operatio emanet: quem medicamenti neglectum exprimere ſolent, es wolle bey den Patienten nichts mehr anſchla-

schlagen / auch was ihm sonsten iederzeit geholffen hätte. Idem apparet, quando vel vomitoria, vel purgationes, vel clysteres effectum suum denegant, quod sæpius fit, si homo profundis meditationibus aut somno deditus est, wenn ein Vomitiv oder Purganz / oder Clystir stehen bleibet: quod etiam de medicamentis sudorificis, diureticis, aliisque toto die animadvertitur. Nonnunquam Natura stimulum quidem apprehendit, & ad motum quendam suscipiendum per eum instigatur; ipsa tamen motum pro lubitu ad locum a medici intentione sæpe prorsus alienum, dirigit. Quid frequentius est, quam quod loco fluxus menstrui a medicamentis emmenagogis, ordinaria quidem dosi, ast incongrue adhibitis vel hæmoptysis, vel mictus cruentus, vel alia hæmorrhagia producatur?

§. XVIII. Concludimus ergo, medicamenta primario sensum vitalem afficiendo, per Naturam operari; nonnunquam tamen operationem eorum mixtam esse, ex motibus, ab ipsa Natura procedentibus, quorum respectu Natura active sese gerit; & ex motibus in crasi humorum a medicamentis immediate excitatis, quorum respectu Natura passive sese habet. Longe tamen id, quod Natura ipsa contribuit, illi, quod a medicamentis immediate adfertur, antistat: adeoque sanitatis restitutio magis ab illa operatione speranda & capienda, quæ a medicamentis per indirectum, mediante Natura exhibetur, quam ab ea, quæ directe ab illis in humoribus, ceterisque partibus efficiuntur.

Conclusio generalis ex antedictis.

CAPUT III.

DE

Sensu in Natura grato vel molesto, qui ex Convenientia aut inconvenientia Curationis externæ cum curatione intrinseca resultat.

Seu

De curatione congrua vel incongrua.

§. I.

Medicus naturæ se accommodet;

EX iis, quæ superiori capite dicta sunt, facile intelligi potest, non licere medico curationem juxta leges suæ theoriæ, utut vero simillimæ, instituere, nisi ea experientiæ exacte respondeat, neque enim medico eo respicere satis est, quid forte in oeconomia corporis locum invenire, fieri aut non fieri possit, sed quid revera locum inveniat & admittatur. Principium enim, quod in corpore later, deque conservatione tum sui tum corporis, admodum sollicitum est, neutiquam sese alius arbitrio submittit: sed quoniam a Conditore summo corporis sui medicus constitutum, atque ea cognitione ac facultate, quæ ad opus hoc requiritur, sufficienter instructum est, pro suo arbitrio, secundum lumen illud, vim ac indolem, coelitus ipsi concessam, quæ legis instar ipsi est, agit. Quare omnia ea, quæ ipsi aliunde adveniunt, quibusque in corpore quid movetur, ad indolem illam, quasi ad motuum omnium, qui in corpore fieri debent, Archetypum refert, & quatenus cum ipso conveniant, probe explorat & dijudicat.

quia natura libere agit,

& omnia accurate examinat,

§. II.

§. II. Quoniam vero, ut hoc fiat, omnino necessarium est, ut Natura rerum omnium corpus ingredientium vel tangentium, plenam acquirat notitiam, hinc excubias suas sedulo agit, i. e. sensationi incumbit, qua, quicquid corpori vel admovetur, vel ingeritur, examinat, cujusnam sit virtutis ac indolis, utrum admitti debeat necne? Quod enim universum corpus, singulæque ipsius partes sensu gaudent, ejus hæc est causa, ut Natura ejus rei cognitionem consequatur, qua quævis corporis partes continguntur. Inprimis autem in illo loco ubi aditus est seu introitus ad partes nobiliores & vitales, in ore, & in specie in lingua subtilissimus fit sensus, & examen quasi rigorosum instituitur, antequam res assumtæ deglutiantur, in quem finem etiam lingua duobus nervorum paribus, adeoque præ omnibus reliquis partibus plurimis nervis prædita est.

examen naturæ perficitur sensatione, quæ

a nervis originem habet.

§. III. Sensus tamen interiores, quibus internæ partes gaudent, multo videntur esse subtiliores, omniumque acutissimi; quippe quibus proprie Natura solet dijudicare, quomodo res illatæ ad vitæ naturalis oeconomiam sese habeant, & qua virtute respectu mixtionis corporis sint instructæ. Quæ enim interdum in sensoriis exterioribus nullum fere sensum excitant, sensibiliter tamen partes internas afficiunt; uti ex multis medicamentis, vomitoriis, purgantibus, alliisque patet. Si quis vel caseum, vel alium quemcunque cibum insigniter abhorret, qui vero ipso inscio aliis cibis intermistus ipsi ad comedendum datur, sæpius quidem contingit, ut homo talis fraudem non animadvertat, nec gustu cibum, quem aversatur, percipiat, nihilominus tamen illo assumpto, angore insigni, conatibusque vomendi, moribusque aliis, morbis etiam nonnunquam gravissimis eum hominem corripi, experientia

Internæ partes sensum acutissimum habent

testatur. Ex hoc intelligimus, quam tenero natura sensu utatur, in percipiendis & dijudicandis iis, quæ ad partes vitales accesserunt. Inter has primo loco ventriculum, respectu sensibilitatis ponimus, commune illud receptaculum earum rerum, quas natura ad corporis viscera proxime admissura est, in quo per tenerrimum ipsius sensum accuratius adhucexaminantur. De hujus insigni imo eminentissima sensibilitate omnes fere testantur anatomici, multorum in eo nervorum concursum notantes: immo totus intestinorum, præcipue tenuium, tractus valde est sensibilis, absque dubio ob eandem rationem, ut ea, quæ naturæ molestasunt, per alvum adhuc possint excerni, antequam ad humores atque viscera transeant.

Interque sensus, enternus & exbirnus in morbis augescit.

§. IV. Quanquam itaque sensus internarum partium insignis utique & summe subtilis sit, subtilior tamen longe & acutior existit ille in morbis: id quod ex sensu etiam externo, non minus in morbis augescente, patet: ægroti enim omnia & vel levissima facilius persentiscunt, ita ut etiam ordinaria aeris temperies ipsis molesta euadat, alterationesque in motu partium tonico illi exinde patiantur, dum sensu quodam frigidulo afficiuntur, de quo conqueri solent, daß sie immer fröstele, cum tamen, qui incolumes sunt, eodem aere fruentes, nihil ejus sentiant. Hæc sensibilitas ad animum sese etiam diffundit, de quo testari solent, es greiffe sie ein jedes ding so heftig an/ und möchte sie eine fliege an der Wand ärgern. Tanta & corporis & animi sensibilitas in phthisicis inprimis maxime apparet, & apud illos etiam, qui qvanquam non decumbant, semper tamen corporis imbecillitate quadam laborant, die immer kranken und schwächlich seyn / quorum debilitatem rectius sensibilitatem appellandam esse arbitramur. Tale quid observavimus in viro quodam juveni,

va-

variis corporis infirmitatibus sæpius obnoxio, qui cum satis bene sese habens potu calido, infusi herbæ Thee uteretur, eoque facto, in museo deambularet, & ad fenestram accedens, fenestellam aperiret, statim, ordinarium modo aerem sentiens, male se habuit, & quadam fere lipothymia affectus est, ita ut accersitus, eum in magna adhuc corporis infirmitate lecto decumbentem invenirem.

Sensus internus in morbis multo acutior

§. V. Summa hæc sensibilitas extraordinaria in partibus internis præcipue observatur. Hinc evenit, quod si ægrotantes amicorum aliorumque suasu parum tantum cibi, de cetero mollis, digestuque facilis admittant, statim anxietatem & cardialgiam persentiscunt, sæpius etiam vomitu tamdiu exercentur, dum particula illa cibi, quam assumserunt iterum ejiciatur. Hæc symptomata euidentissime e sensu illo manifesto orta esse apparet, cum Natura curationi corporis sui unice nunc intenta digestioni incumbere detrectet, corpusque cacochymicum nutrire recuset, & propterea cibum ingestum iterum amoliatur. Quemnam medicorum latet, medicamenta, quæ nullum sæpe, si ab homine sano assumantur, sensibilem effectum edunt, euidentissime eum exhibere, si ab ægroto adhibeantur? Quis ignorat, medicamina dosi longe minori virtutem suam in ægrotantibus, quam hominibus sanis præstare. Constat nobis de quodam ægrotante, cui de pilulis leniter laxantibus non nisi unicam tuto assumere licebat, cum tamen ordinaria dosis 6. vel 7. pilularum alvum vix bis terve movere soleat; sic alii 6. vel 7. granis copiose laxantur, ubi alii ne 20. quidem grana sufficiunt. Alium ægrotantem a paucis tantum granis Nitri depurati, vel Tartari Vitriolati diarrhoeam passum esse, sæpius animadvertimus.

§. VI.

Hujus sensibilitatis causæ sunt vel naturæ sollicitudo & metus

§. VI. Hæc, de qua locuti sumus, Naturæ in morbis sensibilitas primario quidem ex interna illa cura & solicitudine, nec non timore & angustia oritur, in quibus illa ob periculum, quod vitæ imminere videt, versatur. Hæc enim pathemata magnam attentionem, & majorem ad sensoria applicationem in illa efficiunt, ut de omnibus quæ in corpore oriuntur, plenariam recipere possit cognitionem: v. gr. qui in timore ac terrore ob externum quoddam & grave periculum versatur, leuissimum etiam strepitum persenticere potest, Wenn sich nur ein blätgen rühret. Accedit tensio illa extraordinaria fibrarum, ægrotantibus utplurimum familiaris, qua sensus subtilior multo redditur. Hinc qui torturæ ob crimina perpetrata subjiciuntur, maximis afficiuntur cruciatibns, quando eculeo omnibus membris extenduntur. Quod si insuper, dum ita extensi sunt, vel tenui tantum fune leviter cæduntur, acerbissimum exinde patiuntur dolorem, quem relaxatis iterum partibus persentiscere non solent. Quod autem fibrarum quædam extensio apud ægrotantes ordinarie contingat, animadvertere licet partim e faciei forma notabiliter immutata, tensa, contracta, daß sie kränklich und übel aussehen / partim ex ipso tensionis sensu, in principio potissimum morbi manifesto, quem ita exprimere solent, es sey ihnen als wann alles gespannt wäre.

vel fibrarum tensio

Officia medici erga naturæ sensibilitatem ne curatio fiat incongrua

§. VII. Cum itaque subjectum adeo sensibile proprioque arbitrio agens medici curæ committitur, cognosci facile poterit, quam caute, quam prudenter ipsi agendum sit, ne Naturæ, quæ ex sensu læsionis corporis jam tum in angustias, timorem & laborem redacta fuit, novus sensus, novus labor, nova impedimenta per improvidam medicamentorum applicationem, ac inconvenientem uni-

versæ curationis methodum attrahantur, atque adeo ægrotus in multa majora pericula aliorum imprudentia præcipitetur. Caveat sibi itaque medicus, ne flammæ oleum affundat, neue adhibita medicatio Naturæ magis sit offendiculo, quam allevamento. Declarabimus rem simili quodam. Quod si incendio quodam in domo exorto, non tantum domus, sed homines etiam ipsi, eam inhabitantes, in præsentissimum perniciei discrimen venturi essent, nisi omnem curam, operamque adhiberent ad incendium illud extingvendum: dubium non esset, incolas omnes, in extremis quippe versantes angustiis, omnium rerum curis abjectis, in id solum maximo studio connisuros esse, ut ignis extingveretur. Ubi vero deinde amici accederent, & aqua illisque instrumentis, quibus ignis facilius restingui posset, allatis, manum labori admoverent, materiamque, qua ignis nutritur, removerent, magno utique miseris istis hominibus solatio forent, multumque contribuerent, ut e periculo illi facilius multo emergerent. Si vero isti amici secum vellent disputare, num quis homo domum inhabitaret, incolas autem, & eorum opera quæ faciunt, pro incendii umbra, motuque flammæ reputarent, porro aquam quam attulerunt, in ipsos effunderent: aut si loco aquæ oleum apportantes, illud igni infunderent, quis quæso dubitaret, infortunium miserorum hominum hac ratione nimium quantum auctum, eosque loco sperati aut expectati solatii & auxilii in summos dolores, imo in desperationem conjectum iri. Ut ergo hi opem suam admodum incongrue præstiterunt, quanquam eadem fere ac priores egisse videantur: Ita quoque plurimum interest, inter medici operam seu curationem Naturæ negotio convenientem vel inconvenientem; ac inter applicationem medicamentorũ congruam & incongruam:

Simili illustrata

ex illa enim ſolatium, levamen, & magnum in medendis morbis emolumentum promanat; ex hac vero triſtitia, perturbatio, furor & deſperatio non raro proficiſci ſolet.

curationis convenientiam petat medicus

§. VIII. Competit ergo medico, qui voti ſui in curandis morbis compos fieri, aut ad minimum munere ſuo recte fungi deſiderat, ut convenienter omnia ſimul ac prudenter agat. Convenientiam autem curationis, non ex ullo conceptu veritatis quadam ſpecie ornato, nec ex theoria auctoritate plurimorum ſuffulta petere debet, ſed ex ipſa Naturæ indole, intentione & agendi modo. Nec ſufficit, ut curandi methodus cum theoria, quam ſibi de morbis eorumque cauſis formavit, quam optime congruat; ſi eadem oeconomiæ motuum vitalium non reſponderet. Verum, cum Natura corporis ſui medicatrix eſt, ac ipſa, uti ex antecedentibus patet, operationem medicamentorum moderatur, ſenſuque admodum tenero & delicioſo circa medicamentorum adminiſtrationem verſatur, neceſſe eſt, ut medicus animum ſuum eo dirigat, ne quid contra Naturam moliatur, nec ſenſum, qui Naturæ moleſtus ſit inducat, quippe, eum deinde alii motus admodum inconvenientes certo ſecuturi ſunt.

ex naturæ indole & intentione

Curationes congruæ ſigna modosque

§. IX. Ad congruam morborum medicationem autem reqviritur, ut medicus *intentionis* Naturæ in quolibet morbo ſibi propoſitæ non ignarus ſit, *materiæ peccantis* morbis ſubſtratæ qualitatem & ſpeciem probe perſpiciat, *organa* quibus ſecerni, *viaſque*, per quas excerni poteſt, cognoſcat, *tempus*, quo Natura adverſus illam operatur, & *ordinem* ſecundum quem in quolibet morbo procedere ſolet, intelligat, *motusque ordinarios* ac debitos ab extraordinariis & erroneis ſollicite diſtingvat, *motus* vero *conſvetudinales* cum erroneis non confundat, *proportionem* quæ in mo-

movendo tenetur, ſecundum temperamentorum diverſitatem probe diſcernat. Hoc rite perſpecto, ſcopum cum intentione Naturæ uniformem ſibi præfigat eumque iisdem, quantum posſibile eſt, organis ac viis, quibus Natura ordinarie uti ſolet, obtinere ſtudeat, materiam ipſi præparet, omnia debito tempore moveat, in curatione ſeu in corrigendis, ſecernendis & excernendis impuritatibus, eodem ordine, quo ipſa Natura vult, utatur, & ita illi in motibus ſuis neceſſariis manum obſtetricem præbeat, illosque ita cum tranquillitate Naturæ feliciter ad finem perducat, erroneos vero, alios quidem toleret, alios vero, caute tamen, corrigat, nunquam autem abſolute eos ſupprimat. Hæc omnia exequatur, vel medicamenta applicando, vel regimen præſcribendo. Medicamenta ita comparata eſſe decet, ut eorum virtus cum intentione Naturæ & medici exacte conſpiret, adeoque Naturæ iucunda ac optata euadant, materiam, quæ in illo morbo ſubeſſe ſuspicatur, corrigant, aut ad minimum ad ſecretionem præparent: inprimis autem ſenſum moderate afficiant, ne nimium irritando, motibus turbas inferant. Regimen itidem intentioni Naturæ conforme eſſe debet, ut motus & operationes ipſius libere ſub eo posſint fluere, externumque regimen internis naturæ conatibus neque ſit impedimento, neque neceſſarias eruptiones ſuffocet.

§. X. Hac opera, ſi rite medicus functus eſt, dulciſſimum in Natura ſolatii, imo lætitiæ ſenſum excitabit, nonnunquam tam evidentem, ut ab adſtantibus etiam poſſit animadverti, cum ægrotum ab aſſumtis medicamentis tranquilliorem redditum eſſe (cum antea admodum inquietus eſſet) vel vigorem animi recepiſſe videant, cum viribus menteque proſtratus antea videretur; id quod illi ita teſtari ſolent: der Patient ſey nach dem ge- curationis congruæ fructus

brauch der Artzney ruhiger und stiller worden / oder er hätte sich darauff wieder ermuntert. Nonnunquam quidem ejusmodi virium animique refectio ita sensibilis & apparens non est, a medico tamen ex motuum mutatione universoque morbi statu emendato facile colligitur, utpote quem in ordinem iterum redactum, optimæque Naturæ intentioni iterum respondentem animadvertit, ex quo bonum denuo eventum præsagire potest. Magnum itaque est illud auxilium, quod a medico, usu rerum prudenter ac congrue agere edocto ægrotantibus adferri potest.

Curationis incongruæ ratio & signa.

§. XI. Longe aliter res sese habet cum curationibus incongrue ac inconvenienter adhibitis. Quid hoc nomine indigitatum velimus, ex antecedenti §. 8. facile colligi poterit. propterea hic non intelligimus eum curationis modum, qui cum medici theoria, quam de morbis eorumque causis fovet, pugnat; nec id tantum sub hoc nomine comprehendimus, quando quis in homine, v. gr. malo ischiadico affecto curam ita instituit, ac si calculo laboraret, sed id potius hac voce indicare placuit, quando Naturæ operationes adversus morbos vel non agnoscit medicus, vel non pro conamine utili, necessarioque reputat, *intentionem* Naturæ in quolibet morbo non perspicit, *materiæ morbificæ* vel qualitatem vel quantitatem non intelligit, aut aliam, quæ in corpore locum prorsus non invenit, plus nempe, quam sexcentos illos sapores sibi fingit; *organa* ad secretionem applicanda, *viasque* ad excretiones in quolibet morbo aptas non cognoscit, *tempus*, quo Natura ad operandum proclivis aut difficilis est, non discernit, *ordinemque*, quem in operando seruat, non animadvertit, *motus*, in quocunque morbo *necessarios*, saltem *consuetos* a superuacaneis, incousuetis ac erroneis non distin-

distinguit,& *proportionem*, quæ in movendo per temperamentorum aut consvetudinis diversitate diversimode instituitur, non observat, *motusque consvetudinales* cum erroneis confundit, medicamenta mediante Natura sensum illius afficiendo operari non agnoscit, sed effectum immediate ab ipso remedio & absolute procedere temere autumat.

§. XII. Ex his itaque concludimus, curationem incongruam eam esse, quæ immediate adversus motus in morbis sese exerentes, directa est, quando motus morbum proprie non constituunt, neque ex læsione corpori illata, immediate fluunt, v. gr. si in inflammationibus, tam internis, quam externis, in pleuritudine, peripneumonia, hepatitide, nephritide, &c. contra motum calefacientem, per accidens dolorificum remedia applicantur: Si in febribus contra æstum motumque cordis celeriorem; in variolis & morbillis, in purpura, in erysipelate, in scorbuto, in scabie, in crusta lactea, in lue venerea, in dentitione infantum, pharmaca adhibentur contra eruptiones & efflorescentias, cuique horum familiares, motusque illos promoventes; Sic in phthisi & asthmate contra tussim, in hæmorrhagiis contra sanguinis effluxum; in vomitu ac Diarrhoea contra molimina, eo consilio suscepta, ut materia aliqua eliminetur; in partu contra motus spasmodicos medicamenta dantur. Incongruam curationem reputamus, quando quis contra conatus, quibus natura vel hæmoptysin, vel mictum cruentum machinatur, ire, eosque sine venesectione constanter amoliri nititur, præsertim in corpore plethorico, & ubi ejusmodi conamina a nulla vi externa originem habent. Incongrua est curatio, si quis Arthritidem veram, pleuritidem spuriam, Podagram, Gonagram,

Curationis incongruæ species quarum 1. quæ contra motus in morbis excitatos directa est.

Chiragram, malum iſchiadicum, illamq; mali hypochondriaci ſpeciem, ſub qua molimina hæmorrhoidalia latent, motibus ſpasmaticis retinendo, velit opiatis, (ut exemplo utar) extingvere. Incongrua eſt curatio, ſi quis morbis, a veneſectionis aut ſcarificationis conſvetæ neglectu provenientibus, absque veneſectione aut ſcarificatione repetita, vel ſudorificis vel purgationibus, vel ſangvinem mundificantibus mederi putat, vel ſi quis febres, quarum typus jam formatus eſt, veneſectione curare intendit

2. ubi nullus materiæ excernendæ reſpectus.

§. XIII. Incongrua eſt curatio, ubi vel nulla materiæ correctio ſeu præparatio inſtituitur, & motibus tantum obviam itur, vel ubi totus quis eſt in corrigendis alterandisque humoribus; vel ubi quis materiam corrigere ſatagit, qualis vel nunquam in corpore orta fuit, vel nunquam eſt oritura. Incongrua eſt Curatio, ſi quis excretiones materiæ cujusdam pellentibus, ſtimulantibusque urget, ubi organa ad ſecretionem neceſſaria, læſa, viæque vel clauſæ, vel ad transitum materiæ ineptæ ſunt, v. gr. ſi menſes pelluntur, cum ſanguis admodum ſpiſſus eſt, vel viæ, per quas ille fluere debet, ſunt contractæ, aut anguſtiores factæ; ſi calculus pellitur, qui tantæ adhuc eſt magnitudinis, ut per ureteres aut urethram transire nequaquam posſit: ſi quis in febribus malignis aliisq;, ubi ſubtile admodũ miasma febrile ſubeſt, vomitibus, purgationibusque incongruis aut venæſectionibus malignitatem educere conatur, utpote quæ, quamdiu tam eximia ejus eſt ſubtilitas, per hæc organa excerni nec debet, nec poteſt.

3. ubi nullum temporis discrimen obſervatur.

§. XIV. Incongrua eſt curatio, quando quis excretiones criticas, macularum in febribus ſudorumque eruptiones ante definitum tempus medicamentis ſangvinem valde moventibus pellentibusque quadam quaſi vi extorquet, quod etiam de hæmorrhagiis criticis intelle-

ctum

ctum volumus: si calida & alexipharmaca imminente paroxysmo febrili adhibentur. Incongrua est Curatio, si motus Naturæ erronei promoventur, v. gr. si congestiones humorum circa pectus expectorantium abusu augentur, si molimina nephritica congestionesque sangvinis circa renes lithontripticis confirmantur: si in congestionibus humorum in capite copiosior eorum affluxus abusu errhinorum seu sternutatoriorum attrahitur.

4. ubi conatus erronei promoventur

§. XV. Incongrua est Curatio, si quis eruptionem æque celerem variolarum, morbillorum aliarumque evacutionum criticarum velit extorquere, in temperamento ac phlegmatico ac in temperamento cholerico; si tardiorem primam menstrui fluxus perruptionem, in puellis phlegmatici habitus pro morbo existimat, illumque medicamentis pellentibus citius provocare studet; si quis in foeminis cholericis citiorem mensium cessationem pro vitio habens, medicamentis eos calidis aut emmenagogis ulterius pellere laborat. Incongrua est curatio, si consvetæ impetuositati cholericorum, eorumque qui omnia cum vehementia quadam animi agere solent, nihil vult indulgere, sed symptomatum eorum in morbis vehementiam vi quasi ad typum ordinarium redigere; si motus spasticos, epilepticos, syncopticosque, quibus nonnulli levi quacunque causa occasionali exorta, obnoxii esse solent, ad febres aliosque eorum morbos accedere solitos, cum illis confundit, qui absq; tali consvetudine prægressa, oriuntur, & vel animum abjicit, vel peculiarem curationem contra hos instituit.

5. Ubi temperamenti ratio non habetur.

6. nec motuum consvetudinalium.

§. XVI. Incongrua est curatio, si in iis subjectis, aut in illis morbis, ubi sensus Naturæ acutus & subtilissimus deprehenditur, ut in personis cholericis & in morbis acutis, medicamenta adhibentur drastica, stimulantia sensumque

7. Ubi præposterа medicamentorum applicatio.

que fortiter moventia; ſi ea magnis doſibus, præcipue, ubi terreæ ſint conſiſtentiæ, ventriculumque gravent, applicantur; ſi medicamenta, quæ admoventur, virtutis mixtæ ſunt, quæ ex una parte quidem medici & Naturæ intentioni inſerviunt, ex altera vero parte, motus inconvenientes inferunt; ſi ægrotantes ad eas remediorum formulas adſtringuntur, adverſus quas innata quadam averſione feruntur, dum e. gr. nonnulli pulveres absque ingenti Naturæ commotione, motumque vitalium perturbatione aſſumere nequeunt.

8. Ubi regimen ægris inconſultum præſcribitur.

§. XVII. Incongrua eſt Curatio, ſi Regimen ægrotantibus tale injungitur, quo vis quædam Naturæ infertur, illaque ad ea cogitur, ad quæ neque ratione indolis, neque ratione temporis proclivis eſt; ſi in morbis, in quibus orgasmus quidam ſangvinis metuendus eſt, ut in febribus, hæmorrhagiis, nimio hypocauſti æſtu, ſtragulorumque mole patientes nimium onerantur; ſi in febribus, Diarrhoeis aliisque morbis ad ſitim extingvendam ſufficiens potus negatur, vel interdicitur, item ſi cibus ipſi obtruditur, ſi ille cibus, cui asſvefactus eſt ipſi negatur; ſi iis, qui calculo laborant, ſalis uſus in cibis prohibetur.

Curationis incongruæ damna.

§. XVIII. Hæc ſunt præcipua illa medicationum incongruarum genera, in ſpecies ſuas diviſa, quæ ideo incongrua ſunt, quia Naturæ adverſantur, adeoque ſenſum ipſi adverſum, moleſtumque movent, qui alios variosque gignit motus, ad tollendum morbum valde ineptos, noxamque inducit ſæpe gravem, immo gravisſimam, nonnunquam inſuperabilem, aut corruptos ad minimum morbos relinquit. De quibus vero in ſequentibus prolixius differemus.

CAP. IV.

CAPUT IV.

DE

Noxa in genere, ex incongrua Curatione propter Naturæ sensum proveniente.

§. I.

QVantum in homine irritationis sensus valeat, quotidiana experientia uberrime testatur. Quid enim est, quod hominem ad virtutis studium excitat, nisi sensus quidam in animo excitatus? Quid aliud quam ejusmodi sensus eundem ad vitia flectit? Quis est, qui, quanta sit efficacia exemplorum, quantamque animo vim inferre soleant, ignoret? Quis sensum, qui per ea in animum inducitur, non intelligit? Equidem ex corrupta hominum post lapsum indole oritur, ut vitiorum motuumque pravorum fortiora sint irritamenta, quibus miser homo promptius, ac quasi ex lege obediat, quam illi sensui, qui ad vitam honestam atque piam incitatur; huic enim longe facilius resistere solet. Quid? quod si sensus ille, ad mala hominem stimulans, animæ aliquoties impertitus fuerit, ipsaque obedientiam illi præstiterit, dominatur quasi homini, & in eo deinde tam potens existit, ut vix amplius, ac ne vix quidem illi repugnare valeat. Et quanquam ipsum haud fugiat, fructum se ex opere malo bonum non percepturum, sed in damnum potius quoddam inevitabile certo ruiturum; tamen ad quodcunque vitium, quotiescunque malorum stimuli admoveantur, abripitur. Si quis ebrietati deditus damna illius & in animo & in corpore manifesta persentiscit, licet sese ab hoc vitio expedire sæpe sibi

Irritationis sensus multum valet.

malorum irritamenta valentiora

quod ostenditur

in exemplis

bibonum.

proponat, raro tamen id, quod mente conſtituit, opere præſtat. Quando enim priſtina potandi occaſio denuo ſeſe præbet, aut ille in eo hominum conſortio verſatur, qui potationes illi perſuadere ſatagunt, & pocula porrigunt, aut ceteros bibones pocula ſtrenue exhaurire videt, ſenſui tandem, qui in animo excitatur, ſuccumbit. Si iracundiæ quis indulget, quanquam graviſſima exinde damna, multosque & acerbisſimos corporis dolores ſæpius jam perceperit, non tamen ſeſe ab ea continere poterit, ubi ad eandem denuo provocatus fuerit. En! quanta vis ſenſus ſit in homine, quo ad mala patranda ſolicitatur?

& iracundorum

§. II. Cum ergo ingens illa ac deploranda noxa, quæ e ſenſibus commotis animæ imminet, ex his eluceſcat; quid eſt, quod dubites, damnum non ſane leue corpori etiam adferri, a ſenſu Naturæ, in curationibus improvide ac infeliciter irritato? Nec eſt, quod mireris, cardinem curationum incongruarum in eo verti, ſicut a nobis in antecedentibus affirmatum eſt. Experientiæ enim teſtimonio ſuffulti, certo nobis perſuademus, imo certisſimi ſumus, omnia malorum genera, quæ ægrotantibus accidere alias poſſunt, etiam ex illo pullulare. Quemadmodum enim, ut in præcedentibus demonſtravimus, curatio conueniens, conuenientem in Natura mouet ſenſum, ſenſusque conueniens convenientem motum producit; Ita Curatio incongrua incongruum in Natura excitat ſenſum, ſenſusque incongruus incongruum etiam motum gignit. Quid itaque damni exinde proficiſcatur, in aprico quidem eſt; in ſequentibus tamen accuratius illud euolvere nobis non erit ingratum.

quid irritatio in negotio vitali?

Noxa generatim deſcripta ſenſus incongrui ex curatione incongrua orti

§. III. Conſiderantes ergo damna illa, quæ ex ſenſu ab incongrua curatione inducto, exoriuntur, deprehendimus ea magnam partem in ſeductione quadam naturæ con-

Noxa in ſpecie

1. naturæ corru-

consistere, qua ista sese interdum ad varios motus incongruos efficiendos permoveri absque renisu patitur, vel, si jam in statu erroneo constituta est, in illo confirmatur. Prava autem operandi ratio in hoc consistit, quod intentionem quidem optimam, Corporis nempe conservationem, seu materiæ cujusdam euacuationem natura retineat, ab illis autem organis viisque, quibus finis ille salubriter obtineri potest, recedat, alium sibi agendi modum eligendo, quo intentionis vel plane non, vel ad minimum non absque nouæ læsionis periculo compos fieri potest. Ut hæc quæ diximus exemplo quodam illustremus, hoc tantum allegare placet: Si imminente fluxu menstruo aut hæmorrhoidali, aut durante illo vena in brachio secatur, fluxus, ampla imprimis incisione facta, impeditur, vel turbatur, quoniam Natura cum motu sanguinis versus illum locum se convertit, in quo incisio seu irritatio facta est: Contra vero si in fluxu tali vena in pede aperitur, profusio sanguinis copiosior redditur, morbusque si subest, augetur. Plura exempla infra dabimus, ubi noxas specialius euolvemus.

ptio & illecebræ ad motus pravos

§. IV. Utplurimum autem sensus ille, qui ab incongrua Curatione adducitur, non simpliciter tantum Naturam seducit, sed molestus etiam ipsi euadit, unde ordinarie *perturbatio* quædam oritur. Dum enim illa operationi, quam suscepit, intenta est, totaque in ea est occupata, impeditur illa ac turbatur, accedente illo sensu, quo ad aliam operationem auocatur, ut eam, quæ sub manu est, modo convenienti temporeque definito absolvere non valeat.

2. naturæ perturbatio

§. V. Quoniam vero Natura operationem illam adeo necessariam ducit, ut ægre admodum ab illa divertatur; hinc fit, ut primo *molestiam* quandam exinde percipiat,

§. molestia,

perseverante autem medico in illa incongrua medendi ratione, tunc Natura ipsi renititur, motusque contra hanc vim ipsi illatam, eadem solertia & labore ac contra ipsum morbum producere incipit.

ut contra eat,

4. Iracundia, solicitudo & desperatio.

§. VI. Si inconveniens illa cura nihilominus continuetur, accedit angor, quem vel iracundia seu furor, vel sollicitudo vel desperatio sequitur. Natura enim se a duplici hoste nunc inuasam cernit, a morbo scil. interitum corporis minante, & a medico necessarias contra morbum operationes impediente; adeoque ea ab utroque hoste vexata, quo se primum motibus suis vertat, non perspiciens, non leui exinde angore afficitur, cum vitæ interim periculum magis magisque augescens animadvertat. Hinc injuriæ, tum corpori tum sibi illatæ, impatiens, perspecto summo, quod in mora consistit, periculo, ad extrema, etiam sæpius quasi furibunda, confugit, & impedimenta vi removere aut ea perrumpere molitur, quo fine summo cum impetu, convulsionibus etiam productis, agere solet, vel ex adverso velut desperabunda animum abjicit, omnesque ulteriores operationes suspendit.

5. confusus morborum decursus

§. VII. Hæc omnia pro diverso molestiæ illius, quam Natura persentiscit, gradu, diversimode in Natura existunt; motus etiam, qui ex tali perturbatione proficiscuntur, varii quidem, omnes tamen incongrui sunt. Inprimis facile confusus morbi cursus, nullo ejus legitimo typo formato, exoritur: & cum ille alias paroxysmos suos, certo statoque tempore formaret, totus ille motuum ordo inversus nunc cernitur. Paroxysmi non inconsueto tantum tempore & inexpectato, ægrotantem invadunt, ac modo brevi, modo longiore temporis spatio iterum transeunt, sed incerta etiam symptomata, eaque mutabilia, referunt. Hæc noxa in morbis periodicis, præcipue

pue autem in febribus, frequens quidem, aſt non levis eſſe ſolet: quemadmodum enim illa motuum inconſtantia, perturbatam, confuſamque Naturam teſtatur; ita ex confuſo hoc agendi modo certi ſolidique nihil medicus poteſt augurari. Correctio enim humorum, materiæque morbificæ præparatio in hoc rerum ſtatu non rite perpetratur; quæ vero ſi cruda relicta fuerit, neque ſecretio ipſius poteſt ſuccedere; secretione autem rite non tranſacta, excretio ipſius ſalubris impoſsibilis prorſus euadit.

§. VIII. Tanti etiam errores Naturæ perturbatione gignuntur, ut illa vel nimio impetu, vel motibus prorſus alienis agat. Hinc inſignes illæ humorum commotiones proueniunt, quæ deinde euacuationes in morbis admodum copioſas ac immodicas ipſi etiam morbo nonnunquam valde incongruas pariunt, ut, hæmorrhagiam narium copioſam in febribus petechialibus, aut variolis, & in illis quidem diebus, quibus efflorescentia ſuccedere debebat: aut ſi forte hæmorrhagiæ tentatæ ſint, ſed non perruperunt, vel pro Naturæ conatu, licet erroneo, non ſufficienter fluant, congeſtiones ſanguinis in capite inflammationesque Meningum ſequuntur, ex quibus ingentes & lancinantes capitis dolores in deliria degenerantes proveniunt, quæ tamen nil niſi nouas morbi formas & turbas, nouos errores parturiunt. 6. Varii naturæ errores

§. IX. Nonnunquam nova morborum & plane inconſueta ſymptomata, immo novi morbi ex tanta Naturæ perturbatione, curationeque incongrua producuntur. Quoniam enim inconvenienti medicamentorum applicatione, ſuperfluaque ac incongrue ſuſcepta humorum correctione, nova ſæpius materia noxia, Naturæ antea incognita fabricatur, quæ novam læſionem infert; fit, ut 7. nova ac inuſitata ſymptomata, nouique morbi.

Natura illi extraordinaria plane ratione obviam ire, novumque modum illam ſubigendi, alia organa ipſam ſecernendi, aliasque vias eam excernendi excogitare cogatur: ex quo neceſſario etiam nova ac inſolita morborum ſymptomata contingunt, ac inconſvetæ evacuationes, aut certe molimina ad eas directa oriuntur. Morbus itaque qui ſimplex fuit, per alterantium, quæ vocant, abuſum ita alteratur, ut in duplicem ſeu compoſitum transeat. Huc etiam referenda eſt ea morborum transmutatio, cum febris intermittens in continuam, & febris tertiana in quartanam degenerat.

8. Debilitatio naturæ.

§. X. Nec ſilentio hic prætermittendum eſt, quantum natura ab ejusmodi perturbationibus, variisque exinde prognatis motibus, utplurimum ſibi invicem contrariis, fatigetur, debilitetur, ac quaſi enervetur: exhauriuntur enim tandem vires a motibus illis, qui extraordinaria energia & attentione, ſub conſtanti partim metus partim terroris aut ſollicitudinis affectu eduntur: hinc defeſſa tandem Natura ſuccumbit. Ex hoc non reſtitutio tantum tardius ſequitur, quam ordinarie ſolet, ſed morbus etiam in lentum ac chronicum facile abit, immo nulla unquam, perfecta valetudo efficitur, partim, quia Natura debilitata morbi ſemina perfecte non extinxit, partim vero, quia viribus penitus exhauſta & exuta, motus in poſterum vitales cum debito vigore amplius præſtare non valet. Quoniam ergo digeſtio in tali ſtatu non rite abſolvitur, ſuccusque nutritius admodum crudus præparatur; ordinariæ vero humorum impuritates non rite ſecernuntur; hinc ſemper ſtatus corporis morbidus relinquitur.

9. Obſtinatio naturæ unde

§. XI. Utplurimum etiam tanta ab incongrua medicatione fit morborum corruptio, quæ curationem eorum

rum difficilem admodum reddit: Natura enim incongruam curationem adeo nonnunquam abhorret, ut stimulo, quo a motibus suis revocatur, non tantum non obediat, sed propriis suis motibus eo pertinacius insistat: v. gr. si hæmorrhoidibus opiata vel adstringentia directe opponuntur, fluxus nonnunquam iisdem augeri observatum fuit; immo, accedente hac pertinacia, motibus suis ita inhæret, ut omnem deinde optimamque etiam curandi methodum ac efficacissima remedia respuat, eorumque operationem, utpote suspicax & timida, vel prorsus non, vel difficulter admittat. legitima etiam curati difficilis.

§. XII. Tandem & illam adhuc noxam, quæ læsionum omnium terminus est, mortem scilicet hic allegamus, quæ ab incongrua curatione toties totiesque inducitur, & quanquam mors à supra jam notatis noxis per indirectum tandem inferatur, nonnunquam tamen etiam directe incongruam curationem sequitur, si nempe medicus in morbis valde acutis, & præcipue in ægrotantibus admodum sensibilibus contra Naturam ipsam in extremis angustiis, summoque quasi præcipitio positam, quid machinatur; de hoc enim novo ipsi oborto impedimento tanto percutitur terrore, ut in extremam confusionem delapsa vela quasi contrahat, remos abjiciat, & navim suam desperabunda fluctibus committat, quæ quippe a gubernatore suo destituta, eorum impetu facile dissolvitur. 10. Mors ipsa.

CAP. V.

CAPUT V.

DE

Noxa in ſpecie ex incongrua Curatione, propter Naturæ ſenſum proveniente.

§. I.

Argumentum totius capitis ſ. Noxæ explicatio ſpecialior

EVolutis itaque noxis ſeu læſionibus generalioribus, quæ ex incongrua Curatione, propter inconvenientem, quem natura ex ea recepit ſenſum, proveniunt, ad ſpecialiores progredimur, quas ſimul exemplis nonnullis illuſtraturi ſumus. Ut autem ordine procedamus, neceſſe eſt, ut noxam illam e Curationibus incongruis reſultantem conſideremus (1) reſpectu regiminis incongrue præſcripti, (2) reſpectu medicamentorum ratione formæ, qualitatis, aut quantitatis incongrue adhibitorum, (3) reſpectu materiæ morbificæ incongrue tractatæ, & (4) reſpectu Naturæ ipſius ac motuum ab ipſa productorum.

Partitio totius cauſſæ

Regiminis ratio

§. II. Quemadmodum regimen in morbis recte inſtitutum dimidiam fere Curationis partem abſolvit, maximumque Naturæ in operationibus ſuis, libere eas ac tranquille inſtituendis levamen adfert; ita & grave eſt illud impedimentum, quod ex eodem incongrue ſuſcepto progreditur. Noſtrum quidem non eſt, omnia hic damna recenſere, quæ ex incongruo regimine oriuntur, ſed ea tantum, quæ ex eo proveniunt, ubi a medico tanquam curationis quædam pars ægrotantibus illud injungitur. Inter quæ primo loco illud ponimus, quod ex vi quadam Naturæ illata emergit: v. gr. ſi in febribus malignis aliis-

incongrui ſ. calidioris damna

aliisque acutis, aut exanthematicis, Variolis & morbillis, in quibus ſanguinis commotiones iamtum inſignes deprehenduntur inſigniores vero ex leuisſima occaſione verendæ, regimen ſudorificum præſcribitur, & ægrotantes vel ſtragulorum mole, vel hypocauſti nimio calore anguntur. Tali æſtu humores, quanquam extrinsecus hoc fit, grauiter commouentur: commotio autem humorum, ſi debitam proportionem ac normam transgreditur, non legitimum tantum febris curſum admodum turbat, ſed multorum etiam aliorum ſymptomatum mater eſt.

ſunt

1 Commotio humorum illegitima

§. III. Hæc commotio auget quoque materiam morbificam, utpote quæ ita comparata eſt, ut ex ipſis corporis humoribus, incongrue tantum motis, adeoque in ipſo vitæ quaſi gremio generari posſit. Materia enim, quæ febribus malignis, petechialibus & exanthematicis ſubeſſe ſolet, ex ordinariorum corporis excrementorum proſapia, niſi forte extrinſecus per contagium inducta ſit, exorta eſt, & ſubtilitate tantum ab illis differt. Proinde etiam nihil aliud eſt quam excrementum quoddam ordinarium ad extraordinariam ſubtilitatem redactum. Quemadmodum vero malignitas materiæ e ſubtilitate ejus vel inſigni, vel, pro morbi diſcrimine, ſumma proficiscitur; quæ ſubtilitas ex motu humorum inteſtino, & progresſiuo extraordinario ac vehementi ortum habet; ita quam ſimillimum eſt vero, ſi motus ille nimie rarefactivus existit, materiæ etiam talis inusitatam copiam produci. Solent morbilli atque maculæ majori copia in iis efflorescere, quos in regimine nimis calido anxioque detinuerunt, quam in illis contingere videmus, qui temperato calore utuntur. Recordor hic, Excell. D. D. Præſidem in febribus petechialibus obſeruaſſe, copioſam

2 Auctio materiæ morbificæ

quod fit

per motum rarefactivum

admodum macularum efflorescentiam passos eos esse, quibus et medicamenta, & regimen nimis calida adhibita fuere; nullas fere nonnunquam, vel paucas saltem maculas cum tranquilliore febris cursu, erupisse, ubi ad calida positiva eademque violenta adstricti non fuerunt ægroti.

3 Orgasmus & pororum obstructio

§. IV. Nonnunquam ex tanta sanguinis commotione incongrua tantus ipsius oriri potest orgasmus & expansio, ut quoniam non tantum in venis, sed in partibus etiam carnosis, fibrarumque interstitiis contingit, latera eorum extendendo, poros contrahat, comprimatque adeo, ut æstus quidem ingens, ast transspiratio necessaria, macularumque ac variolarum eruptio debita, & pro commotionis factæ gradu sufficiens succedere non possit. Appropinquante igitur excretionis tempore, illaque propter compressas vias, porosque obturatos non rite procedente, natura de euacuatione omnino alia, ast tali morbo plerumque inconuenienti, meditatur, eamque vel per nares, vel per alias partes, utplurimum glandosas efficere machinatur. Hinc accidit, ut Natura exitum non inueniens, materiam, magno labore ad corporis superficiem partesque ignobiliores detrusam, & ad euacuandum depositam, non absque perturbatione, indignatione ac tædio ad partes interiores, nobilioresque reuocet, ex quo vel hæmorrhagiæ copiosæ, vel diarrhoeæ, sæpius letiferæ, vel vomitus, aliaque mala emergunt.

4 Congestiones sanguinis

§. V. Equidem ne hæc quidem naturæ intentio in ejusmodi morbis ad finem semper pertingit, sed tantum in moliminibus incompletis subsistit. Inde enim existunt congestiones humorum materiæque morbificæ, & stagnationes in partibus internis; ex his propter materiæ illius malignitatem aut acredinem vel partium tenerarum læsio

vel

vel inflammatio, aut ad minimum irritatio pullulat, ut inflammationes meningum, & ex ea acutissimi capitis dolores, immo deliria; inflammationes faucium ac tonsillarum, inflammatio intestinorum renumque cum urinæ suppressione. Felicius quidem paullo succedit ea congestio, ubi materia ad partem quandam externam transfertur, ut vel inflammatio erysipelacea, vel illius ad certam glandosam partem collectio, quæ bubonem quasi refert, instituatur, qua de re exempla non nunquam in praxi occurrunt. inflammationes & deliria

§. VI. Inconueniens etiam, quod ex regimine nimis calido oritur, illud non in leuibus habendum est, quod ex immodicis sudationibus prouenit. Quodsi enim illæ sub morbi initium immature prouocentur, eruptionem macularum, aut aliorum excernendorum præpropere accelerant, quæ tamen tranquilla ac moderata excretio esse debebat, ægrotantemque mirum in modum debilitant. Nec minus qui sudores immodici vel in statu, vel in declinatione morbi protruduntur, diu deinde, morboque etiam transacto, perdurant, aut facillime recurrunt, ægrotantem impedientes, ne vires recuperare vigoremque recipere valeat, sed plurimum potius per eos eneruetur. 5 Immodicæ sudationes earumque damna specialia

§. VII. Eruptionis etiam & sudoris, & macularum, quæ per regimen nimis calidum, adeoque coacte producuntur, tantam habent sensibilitatem secum conjunctam, ut si forte nimius ille caloris gradus paullo remissior fiat, subitus materiæ expulsæ regressus sequatur. Quod etiam accidit, si ægroti, quando propter alvum exonerandam, vel propter aliam leuissimam occasionem aëris quid admittunt, aut si animi quadam perturbatione tentantur, quanquam alias satis bene se habeant, tamen in 6. metus sensibilitatis nimiæ, quæ cum illis conjuncta

periculo ſubitæ mutationis ſemper verſantur. Ne dicam excretiones illas, violentia hac quaſi extortas, nimis præmature nonnunquam, & ante præfinitum excretionis tempus, exoriri, malæque admodum fidei eſſe, dum non tantum uniuerſum naturæ negotium ordinemque turbatum teſtificantur, ſed excitæ etiam ſunt, materia nondum rite præparata, nec ab humoribus, quibus adhæret, ſufficienter avulſa, ac ſeparata.

Regiminis frigidioris ratio

§. VIII. Quemadmodum ergo tanta ex regimine inconuenienti damna ſurgunt, ubi in exceſſu circa calorem peccatur; ita grauisſima etiam læſio ex iſto regimine proficiscitur, ubi in defectu circa eum erratur, & regimen nimis frigidum permittitur, ſiue illud ſit tranſiens, ſiue continuatum. Tranſiens illud appellares, ubi potus nimis frigidus adhibetur, linteamina incaute mutantur, & aër, dum lectum ſternunt, admittitur, calente inprimis, vel ſudante ægroto: continuatum vero nominares, ſi patientes ex caloris febrilis ſenſu moleſto impatientes facti, ſtragula abiicientes ſeſe denudare non deſiſtunt; aut ſi hypocauſtum non ſufficienter calefactum eſt, aut ſi aër ægrotantem, qui prope feneſtram jacet, grauius afficit, quanquam adſtantes nihil ejus ſentire poſſint. Hæc cum fortaſſe ad medici curam minus ſpectare videri poſſint, utpote ab ægrorum vel adſtantium arbitrio dependentia; ad eam tamen omnino pertinere, cohærentia illa, quæ externo huic regimini cum operatione naturæ intrinſeca intercedit, demonſtrat. Curatio enim Medici de cetero Naturæ conueniens, incongrua evadit, incongruo hoc regimine accedente, quod intentioni & Medici, & Naturæ adverſatur.

Cujus noxa

§. IX. Noxa, quæ ex caloris ſufficientis defectu provenit, itidem varia eſt, & quidem primo morbi & operatio-

tionum Naturæ perturbatio ſuccedit, inprimis etiam retentio excernendorum vel abſoluta, vel nimis diuturna: adeoque excretio, quæ in febribus abſolute neceſſaria eſt, vel prorſus intercipitur, vel non legitime ſequitur, poris non ſatis patentibus, aut prorſus clauſis. Hanc materiæ retentionem translatio quædam excipit, ubi Natura alias excretiones per diarrhoeam, vomitum &c. incongrue ſubſtituit, aut ſaltem ſubſtituere machinatur, quando congeſtiones & ſtaſes circa partes externas vel internas format; quæ iterum varias alias læſiones turbasque pariunt, præcipue eas, quas ſupra, §. V. indicavimus. Si vero refrigerationes ejusmodi poſt eruptionem macularum, vel exanthematum, aut ſudoris committuntur, receſſionem, vel repentinam ſuppreſſionem eorum efficiunt.

1. Retentio excernendorum

§. X. Quod ſi in hæmorrhagiis narium, in hæmoptyſi, aut hæmorrhoidibus refrigerationi ſe homo exponit, excretionum harum alias exacerbatio, alias intempeſtiva interceptio ſubſequitur. Exacerbatio in hæmoptyſi oritur, ut & in ea narium hæmorrhagia, ubi ſangvis ex internis vaſis capitis effluit, nec non in hæmorrhoidibus internis. Sangvis enim facta refrigeratione ab exterioribus partibus ad interiores repellitur, & tunc quidem ad interiora propulſus, in majori copia ad partem etiam adfectam defertur: hinc copioſior ſuccedit ſangvinis effluxus ſeu expulſio; quoniam aëris frigiduli ſenſus ſpaſtici quid ſeu contractionem quandam lenem fibrarum efficit. Interceptio vero præmatura contingit in ea narium hæmorrhagia, quæ originem e vaſis capitis ſangviferis exterioribus, cuti ſubſtratis ducit, nec non in hæmorrhoidibus externis: contracta enim propter aëris frigidi ſenſum cute, intercipiuntur ſimul vaſa illi ſubja-

2. Hæmorrhagiarum exacerbatio

vel ſuppreſſio

centia, ſangvinisque effluxus impeditur; præcipue dum propter eundem ſenſum ſanguinis ad interiora fiat retropulſus. Longum foret omnia damna in ceteris etiam morbis, præcipue, quæ in infantum adfectibus ex nutricum incuria ab illo regiminis vitio prodeunt, recenſere: ſed hæc, quæ exempli loco allegavimus, ſcopo noſtro ſufficere poſſe arbitramur.

Hæc omnia fundantur in ſenſu Naturæ

§. XI. Hæc omnia ex ſenſu Naturæ incongrue adfecto proficiſci, eſt evidentisſimum. Quicquid enim vel de calore nimio vel de frigore diximus, non ſecundum certas regulas, aut ſecundum proportionem mathematicam dijudicari poſſunt, ſed omnino ſecundum ſenſum & apprehenſionem, quam Natura exinde habet. Neminem Practicorum fugere poteſt, quantum circa calorem atque frigus in ægrotantibus discrimen ſit, ex conſveta vitæ ratione. Quicunque calori admodum adſveti ſunt, & qui multum circa ignem verſantur, majorem, quam ceteri caloris gradum tolerare poſſunt, immo requirunt. Quid etiam nonnunquam Natura in ſuſtinendo in morbis frigore valeat, exempla plebejorum & pauperum ſenſum tam delicatum non habentium docent.

Noxa a potu denegato

§. XII. Nec ea noxa ſilentio hic prætermittenda eſt, quæ provenire ſolet, quando potus ægrotis ſufficiens denegatur, dum quis forte ſitim eorum pro malo morbi effectu judicat. Quam incongrue autem hoc, præcipue in febribus jubeatur, ipſa ratio, ne dicam experientia monſtrat. Humiditas enim in ſtatu etiam naturali neceſſarium eſt illud inſtrumentum, quo Natura in omnibus fere ſuis operationibus opus habet, inprimis in movendis humoribus utpote ad ſpisſitudinem pronis, nec non in ſecernendis excernendisque impuritatibus; quæ omnia

ex

Humiditatis neceſsitate probata

omnia absque sufficiente humiditatis quantitate fieri nequeunt: præcipue autem extraordinaria humiditatis copia in febribus requiritur, quia continua, quæ in illis viget, transspiratione, & copiosiore urinæ excretione humidi multum perdatur, quod Natura compensare studet, per illud humiditatis desiderium, quod sitim appellamus. Repugnatur itaque Naturæ, si potus ægrotantibus denegatur, quæ ita instrumento suo privatur, operationes ipsius necessariæ vel prorsus intercipiuntur vel difficiliores certe redduntur: cum alias potus, ceterum bene comparatus, riteque adhibitus medicinæ instar, immo analepseos loco esse solet.

§. XIII. Quanta ex adverso noxa sæpius oriatur, si ægrotantibus cibus quidam, renitente Natura, quasi obtruditur, præcipue in acutis manifestum est. Natura enim, quæ in morbis digestioni vacare ordinarie recusat, si cibum in ventriculum intrusum persentiscit, male exinde afficitur, & statim de ipsius excretione meditatur, quod molimina confirmant, quæ ciborum illorum usum seqvuntur, anxietas scilicet, cardialgia aut vomitus &c. Quod si vero ejectio illius non succedat, cruditates & flatus ex eo, propter digestionis debitæ defectum, gignuntur, quibus variis novis turbis ansa præbetur. Noxa a cibis obtrusis

§. XIV. Noxam etiam nonnunquam ægrotantes, aut alii homines percipiunt, quibus usus ejus cibi vel potus interdicitur, quibus inde a tenera ætate sunt adsvefacti, v. gr. usus vini moderatus, aquæ aut cerevisiæ, ciborum etiam digestu forte aliis difficilium, carnis fumo induratæ, pernæ, usus acidorum, salsorum &c. Quanquam enim causæ esse possint, quæ usum harum rerum dissvadeant, peculiare tamen jus consvetudo sibi in corpore ven- a victu solenni interdicto

vendicat, ita ut noxa tunc gravior perſentiſcatur, ſi plane ab iis abſtinent, quam ſi moderate iis utuntur: tanta enim ex ſubita hujusmodi diætæ mutatione in ſenſu Naturæ circa digeſtionem occupatæ oritur alteratio ac moleſtia, ut notabili ventriculi debilitate, immo non raro febri tertiana afficiantur nonnulli; ſenſibililiter vero iterum leventur ac roborentur, ſi priſtina vivendi ratione ipſis uti concedatur.

a Venæſectionis aut ſcarificationis conſvetæ uſu prohibito.

§. XV. Merito huc referri debere putamus interdictionem venæſectionis aut ſcarificationis, ſi conſvetæ fuerint. Quanta enim noxa, quantum periculum ægrotis inde imminet nonnunquam? Noxa vero, quæ ex venæſectionis & ſcarificationis neglectu reſultat, eadem fere eſt, quæ hæmorrhagiæ narium avtocraticæ, ſi ſuppreſſa illa fuerit. Videmus enim ejusmodi homines ad varias ſangvinis congeſtiones, inflammationes, ac eruptiones, immo ad febres, capitis etiam dolores, rhevmatismos, morbosque arthriticos, plerumque proclives eſſe.

Noxa a medicamentorum forma incongrua.

§. XVI. Medicamentorum formam incongruam nonnunquam damna inferre poſſe, nemo facile negabit, qui perpendit, quod Capite præcedente diſputatum fuit de ſingulari nonnullorum horrore, qui animum contra hanc illamve formulam ſubit. Quod ſi enim tale quid ipſis averſantibus obtruditur, ſimilia fere ipſis accidunt ſympto mata, ac ſi venenum ſumſiſſent. Nonnullis dulcia & ſaccharata noxia ſunt, quæ ſic adhibita varios motus incongruos producunt. Nimius terreorum ac abſorbentium uſus ventriculum gravat: in quo ea propter gravitatem ſubſident, & vel non alterantur, vel in muciditatem abeunt: quomodo vero non tantum variis ventriculi morbis

nimirum

ab abusu terreorum

bis occasioni esse possunt, sed humores etiam nimium incrassant & corrumpunt. Eadem fere pericula medicamenta, quæ largius propinantur nonnunquam pariunt, dum non fastidium tantum movent, sed molesta etiam Naturæ in humoribus evadunt. Purgantia resinosa absque liquore quodam solvente congrue & utiliter non semper adhibentur; cum enim ab humiditate corporis resolvi nequeant, nec æqualiter distribui, accidit, ut parti cuidam intestinorum adhæreant, sensumque effrenum nonnunquam provocent, & ita hypercatharsin inducant. Opiata, quoniam vi stupefactiva pollent, sensum Naturæ ad tempus extingvunt, motus optimos compescunt, alvi urinæque excretiones naturales & necessarias sufflaminant, curationem non nisi incongruam reddere, nihilque nisi motuum vitalium perturbationem relinquere possunt. Adstringentia positiva inconvenientem curationem quam facillime secum ferunt. Quanquam enim nimius quidam fluxus, quem sisti oportet, & pars in tali fluxu adfecta usum eorum postulare videtur; quoniam tamen aliæ partes corporis vitales, ad quas adstrictio simul pertinet, vitium per ea faciunt, incongrue & sæpissime non sine damno applicantur: liber enim, constrictis vasis ac viis, humorum transitus per secretionis & excretionis organa intercipitur, stases, obstructiones & scirrhi generantur, ac hectica, tumores, malum hypochondriacum, morbique hydropici &c. producuntur. Tandem etiam medicamenta incongrue composita, v. gr. adstringentia cum diaphoreticis mixta incongruum facillime effectum eliciunt: diverse enim & contrarie sensum adficiunt, naturam cum ad excretionem, tum retentionem simul stimulant: propterea Natura in tanta perturbatione vel in-

2. purgantium resinosorum

3. opiatorum

4. adstringentiũ

5. incongrue compositorum

constanter agit, vel motus nonnunquam contrarios instituit: videbis enim nunc sudorem emitti, nunc reprimi. Tam dubie, tamque ambigue omnia geruntur.

CAPUT VI.

DE

Noxa specialissima ex incongrua Curatione propter Naturæ sensum proveniente.

§. I.

Noxa ab omissa materiæ peccantis correctione & intempestiva applicatione.

NUnc ad specialissimarum noxarum demonstrationem progredimur, & primo eas consideramus, quæ ex materia morbifica perperam considerata ac incongrue tractata, aut prorsus neglecta proveniunt. Neglectus materiæ ab iis committitur, qui absque ejus prævia debita præparatione seu correctione de ejus excretione tantum solliciti sunt, & evacuationem meris stimulantibus moliuntur. Ex hac incongrua medicatione multi conatus frustranei a Natura instituuntur, quibus ea absque necessitate aut utilitate defatigatur, morbique ordo naturalis invertitur. Quod si enim materia spissa est, ut per angustas viscerum aliarumque partium vias libere transire non possit; aut si tenax vel viscida partibus firmiter adhæreat, aut si, quanquam non penitus, ita tamen inclusa est, ut liber ipsi transitus non pateat; aut si humoribus ita quasi intertexta est, ut ab ipsis avelli necesse habeat; incongrue

Il stimulantium ad excretiones in morbis in genere.

grue Naturam ad materiam talem excernendam ſtimulari, noxamque inde neceſſario progredi, quis non intelligit?

§. II. Si ergo in febribus tertianis, aut etiam extra illas in ventriculi, inteſtinorumque cruditatibus vomitoria vel purgantia adhibentur, ubi materia viscida ventriculo, aut inteſtinis adglutinata eſt, operatio eorum vel absque fructu perficitur, vel magnis Naturæ conatibus, ingentibusq; maſſæ ſangvineæ commotionibus, immo cum ſangvinis expresſione procedit, & ita vel hyperemeſis, aut hypercatharſis producitur: quoniam Natura ad excernendum excitata, materiam ad motum tam ineptam vi, & collectis quaſi viribus protrudere ac extorquere laborat.

2. in ſpecie vomitoriorum & purgantium in febribus tertianis aut in aliis ventriculi cruditatibus

§. III, In morbis cachecticis ac hydropicis, in quibus tanta ſubeſt lymphæ ac ſeri muciditas, ut propter vaſorum anguſtiam, materiæ vero crasſitiem vel difficulter, vel plane non per glandulas transire valeat, malum valde augeri poteſt, ſi absque debita lymphæ atque ſeri prægreſſa reſolutione, ſtimulantia tantum & purgantia propinantur. Provocata enim ad excernendum Natura motum quidem circa glandulas contractorium ſuſcipit, & materiam ad inteſtina protrudere molitur, materia vero ob crasſitiem & tenacitatem ſeſe protrudi non patitur. Interim dum Natura, ut humores ad inteſtina colligat, eosque deinceps evacuet, ſtimulantibus nihilominus ſolicitatur, neceſſe eſt, ut id tantum adfluat, quod adhuc fluidum eſt & ſubtile, remanentibus partibus crasſioribus & tenacioribus. Hac vero ratione humores crasſi ac mucidi crasſiores adhuc, ſpisſioresque, immo ad ulteriores viſcerum læſiones ac obſtructiones magis idonei redduutur.

3. purgantium ſtimulantium in morbis cachecticis & hydropicis

4. pellentium in obstrictionibus mensium.

§. IV. In obstructionibus mensium, quæ a sangvine vel spisso, vel mucido oriuntur, incongua est ea Curatio, qua sanguinis fluxus cum quadam quasi vehementia per medicamenta menses positive pellentia urgetur, sanguine ad transitum prorsus inepto. Quis enim noxam exinde subsecuturam esse non perspicit? Manifestum quippe est, quod si sangvis majori vi in partes impellatur, & propter celeriorem, qui a pellentibus producitur, motum, majori copia in partes irruat, duo facillime emergant mala; primum est, ut plus sanguinis impellatur, quam propter ipsius segnitiem transire potest, ex quo necesse est, ut sanguis ille, qui transmeare tam cito non valet, stagnet, & ad varios affectus spleneticos, hypochondriacos, hystericos, spasmodicos, immo convulsivos ansam præbeat: secundum malum est, ut sangvis ille, vi in partes protrusus, propter spissescentiam in iis prorsus subsistat, easque obstruat; unde vel affectus scirrhosi, vel inflammationes provenire solent.

5. In obstructionibus hepatis, lienis, nec non malo hypochondriaco ab incongruo usu (a) Martialium quorum virtus ac usus simul ostenditur

§. V. Huc etiam pertinet illa medicandi incongrua ratio, quando quis obstructiones hepatis, lienis, & malum hypochondriacum Martialibus curare conatur, nullo adhibito judicio de vera horum adfectuum causa, & de modo, quo Martialia illa effectum suum præstant. Quanquam enim scopo aperitivo utplurimum adhiberi soleant; manifestum tamen est, maximam eorum partem esse adstringentem. Et quanquam subtilissimi quid in Marte lateat, quod virtutem adstringendi nullam quidem, sed diaphoreticã ſ.aperitivã habet; id tamen in cõmuni martialium præparatione nequaquam ita separatur, ut non particularum adstringentium plurima intermixta maneant, eaque ipsa virtute subadstringente imprægnent. Quoniam

vero

,vero non absq;causa auguramur, morbis illis, inprimis vero malo hypochondriaco plerumq;ſpaſtici quid ſubeſſe, partesque internas eſſe quadantenus adſtrictas; propterea non immerito morbum per accedentia martialia facile augeri judicamus. Quod ſi objicias, experientiam ipſam teſtari, quod martialia apud ſpleneticos ac hypochondriacos ſæpius cum fructu adhibita fuerint; & quanquam martialia poſitiue adſtringentia locum non inveniant, multum tamen illa conferre poſſe, quæ ita ſunt comparata, ut non niſi lenem quendam contractionis ſenſum in ipſis fibris proliciant: hac enim ratione diſcuſſionem ſeu protruſionem humorum ſtagnantium promoveri commode poſſe: reſpondemus; quanquam admodum caute medico circa martialium uſum verſandum eſſe putemus, non abſolute tamen usum eorum damnamus 1) ſi debito modo præparata ſunt, 2) ſi medicus certus ſit, nullam ſtricturam viſcerum, viarumque auguſtiam præſto eſſe, 3) ſi non hæmorrhoidum aut menſium fluxus promovendus ſub his, de quibus nunc agimus, motibus lateat, & 4) ſi debita humorum præparatio ac reſolutio præmiſſa, & facta eſt. Quod ſi enim hoc rite non effectum fuerit quid proderit, motum illum ſpaſticum augere, ut materia ſtagnans propellatur, ſi illa ad motum eſt inepta? Equidem inficias ire non poſſumus, quod ſanguis interdum in hæmorrhoidibus obſtructis poſt martialium uſum iterum fluat, & quod hypochondriaci ac ſplenetici leuamen nonnunquam ex eo ſentiant: hoc tamen apud eos tantum contingere ſolet, qui viis, porisque patentioribus gaudent, ſanguinemque adhuc floridum, fluidumque habent; apud hos enim martialia fibras criſpando ſ. ad leniſſimam conſtrictionem diſponendo, ſeu tonum, ut vocant, roborando, adeoque ſanguinem exprimendo efficacia ſunt.

Ubi vero humores fluiditate debita destituti sunt, contrarius effectus sequitur: immo quanquam humores etiam satis fluidi sint, tamen interdum major, quam par est, pororum obstructio seu constrictio, viarumque angustia & humorum retentio etc. effici potest, si martialia ista in maiori dosi, aut apud patientes valde sensibiles adhibentur. Ex his patet, quam anceps & dubia sit virtus martialium, quamque prudenter ac caute in usu eorum procedendum sit.

(b) volatilium urinosorum

§. VI. Quicquid hactenus de martialibus diximus, id etiam de volatilibus urinosis in iisdem morbis dictum volumus. Quanquam enim etiam ea ad aperiendum vulgo adhiberi soleant; Excell. tamen D. D. Præses obseruauit, quod eadem ratione, ut martialia aperitiua quæ dicuntur, fibras nempe afficiendo, agant, & quod proinde in hæmorrhagiis nimiis sistendis, cum fructu possint adhiberi. Ex hac eadem causa usum eorum in febribus disuadere solet, retentionem materiæ febrilis, viscerumque corruptionem exinde præsagiens; id quod tumoribus oedematosis ordinarie subsequentibus prodere sese soleat.

6 Corticis China Chinæ in febribus

§. VII. De abusu etiam Corticis Chinæ Chinæ aliquid dicendum erit. Hic enim sensum Naturæ admodum incongrue afficit, materiam febrilem intactam relinquit, eamque in partibus vitalibus ac glandulis, quas constringit, includit, ut adeo humorum in iis fiat stagnatio, partesque illæ obstruantur: unde deinceps febris quartana, malum hypochondriacum, hydrops, hectica etc. sequuntur.

7 lithontripticorum in affectibus calculosis

§. VIII. Si Calculus renum vel vesicæ tantæ sit magnitudinis, ut per ureteres ac urethram transire non possit; aut figuram acutam vel aculeatam habeat, & lithontripticis impellatur, maxima sæpe noxa producitur. Quemadmodum enim propulsio talis admodum incongrue suscipi-

cipitur, ubi ſucceſſus intentioni reſpondere nequit ; ita fieri non poteſt, quin magna motuum ſpasmodicorum, dolorificorumque exacerbatio ſequatur. Calculus quidem e renibus in ureteres inducitur ; aſt propter magnitudinem non educitur, illos vero valde extendens vel ſi acutus eſt ſaucians, ex dolorum acerbitate ægrotantem in mortis periculum præcipitat.

§. IX. Incongrue etiam materia in febribus malignis ab iis tractatur, qui per Venæ ſectionem illam educere conantur. Quanquam enim venæ ſectio, ſtatim in primo principio, in corpore plethorico, inſtituta, multas avertere poſſit ſymptomatum exacerbationes; attamen ſi vena curatiue in ipſo febris typo ſecetur, febrim turbare, noxamque inferre, aut ſaltem fruſtra ſuſcipi ſolet: id quod etiam de vomitibus ac purgationibus in illis excitatis, affirmamus. In his enim febribus materia adeo ſubtilis & halituosa deprehenditur, ut craſſo hoc euacuandi modo craſſam quandam materiam ſupponente, excerni non queat. Inſuper ea per uniuerſam ſanguinis maſſam ita diffuſa eſt, ut cum illa ſanguinis portione, quæ ex vena effluit, nequaquam exire poſſit. Accedit quod Natura hac ratione admodum in ſua intentione turbetur; quod in ſequentibus demonſtraturi ſumus.

Venæ ſectione intempeſtive inſtituta in febribus malignis

nec non vomitoriorum & purgantium abuſu

§. X. Quemadmodum ergo in morbis hucusque recenſitis materiæ ratio plerumque non, ut æqvum eſt, ſatis habetur; ita multi e contrario nimii ſæpe ſunt, in humoribus corrigendis aut alterandis. Et quoniam motuum omnium in morbis exorientium cauſam materiæ cuidam impuræ adſcribunt, hinc ægrotum tamdiu alterantibus, ut vocant, ſeu corrigentibus defatigare ſolent, usque dum morbum ita alterent, id eſt, corrumpant, ut motus illi quidem ceſſent, alii tamen eorum loco, & pejores, qui-

Noxa a nimia materiæ correctione & alteratione

quidem emergant; nisi forte Natura, dum corpus medicamentorum abundantia oppletum videt, universalem ejus expurgationem instituat, qua hæc medicamenta, ne humoribus noceant, ejiciat, eodemque labore ac opere reliquas impuritates, tanquam morbi fomitem simul evacuet: qua vero ratione sanitatis restitutio non nisi per accidens sequitur.

Noxa a Corruptionis falso suppositæ curatione

§. XI. Quam infeliciter etiam illud curationis genus cedere oporteat, quod ob corruptionem humorum falso suppositam suscipitur, & ad quam subeundam eorum mixtio prorsus est inepta, quilibet intelliget. Quales corruptiones sunt fermentationes illæ humorum, quæ acrimoniam generare dicuntur, nec non obstructiones illæ seu sanguinis stases, quæ in plurimis morborum speciebus pro morbi caussis allegari vulgo solent; cum tamen nulla sanguinis vera stasis absque inflammatione contingere soleat, eaque tam frequens, præcipue in vasis neque concipi possit, si motus sanguinis progressiui vehementia perpendatur. Neque magis prospere ille curationem suscipiet, qui sibi fingere velit materias, quas tamen ipse nunquam vidit, nec earum existentiam vel probabiliter euincere, nedum in corpore demonstrare potest. Cujus generis sunt materiæ, quas ex particulis ramosis, hamosis, rhomboideis conflatas esse fingunt. Quomodo enim hæ figuræ 1) in atomis, particulisque tantæ subtilitatis, ut oculum prorsus fugiant, concipi, & (2) in mixtione quadam constitutis locum invenire possint, intelligi plane nequit. Quod si ergo Correctio corpusculorum eorum, aut læsionum illarum, quæ in Corpore, & forte etiam in universa rerum natura non existunt, tam operose instituitur, & medicamenta in hunc finem frustra infunduntur; an non ejusmodi curatio pro incongrua immo

vel materiæ fictæ tractatione

noxia

noxia reputanda eſt, cum juxta eorum etiam, qui illa adhibent, ſententiam in corpore quid ab iis alteretur? Certe quia illam, quam ſuſpicati ſunt materiam, quoniam in corpore non exiſtit, aggredi neqveunt, aggrediuntur ſangvinem, ceterosque humores, inprimis autem ſenſum Naturæ vitalem; qui quoniam moleſtus, aut incongruus tactus eſt, varias turbas, varios motus incongruos ac erroneos parturit.

§. XII. Nunc tranſimus ad explicationem ejus noxæ, quæ ex incongrua curatione reſpectu ipſius Naturæ eujsque motuum reſultat. Et primo quidem loco collocamus eam curationis methodum, qua quis contra Naturæ intentionem morbique indolem quid machinatur. Hoc contingit venæ ſectione in febribus adhibita. In his enim præcipua Naturæ operatio conſiſtit in correctione vel in diſſolutione cuiusdam materiæ, non vero in ſangvinis ſinceri excretione, quam quidem operationem non aliter, niſi motu humorum progresſiuo perficere poteſt. Quod ſi ergo tanta motus humorum progresſiui interruptio, tanta mutatio per venæ ſectionem inducitur, ita confunditur, ac perturbatur Natura, ut typum, ordinemque in febri ſeruandum, facillime amittat; præcipue cum idea de excretione facta diu ipſi inhæreat, ad quam imitandam deinde ſemper proclivis eſſe animadvertitur. Hinc multo opus eſt ſtudio & labore, ut Natura in ordinaria ac debita operandi ratione conſeruetur; quare ejusmodi patientes, ſecata vena, in continua diaphoreſi ac ſudore ſeruandi ſunt, ut inæqualis ſanguinis diſtributio, quæ per venæ ſectionem effecta, motibusque vero febrilibus ordinariis impedimento eſt, auertatur; alias Natura facillime ad congeſtiones humorum, ſtaſesque formandas, quæ ad hæmorrhagias tendunt, vergit; & quoniam raro ad effe-

Noxa ubi peccatur contra Naturæ intentionem & morbi indolem

& quidem in febribus per venæſectionem

ctum perducuntur, motus facile in ea ſymptomata degenerant, quæ ſupra §. 5. Cap. præcedentis indicauimus.

2 in moliminibus hæmorrhagiarum per venæſectionis omisſionem & quidem (a) in moliminibus ad hæmoptyſin

§. XIII. Quemadmodum vero hæc, quæ jam explicata eſt noxa ex venæ ſectione ſ. hæmorrhagia artificiali præter Naturæ intentionem inſtituta, oriri ſolet, ita noxa etiam inſignis nonnunquam exſurgit, ex eadem intermisſa, ubi Natura hæmorrhagiis adsveta, eaſdem ſed inconvenienti loco, intendit. Ita enim accidit, ut, qui in pueritia narium hæmorrhagiis ſæpius laborarunt, creſcentibus autem annis illis deſtituantur, illi loco ipſarum compresſionem quandam thoracis, aliaque circa pectus incommoda, tusſim ſiccam, raucedinem, & ſimul totius corporis lasſitudinem ſentiant: quæ molimina ad excretionem ſanguinis hæmoptoicam ſpectare ſolent. Si hæc itaque Naturæ intentio a medico non perſpiceretur, & ille morbum hunc vel pro ſimplici affectu pectorali, vel pro phthiſico exiſtimare, ægrotantique calida, Balſamica, Balſam. Sulphuris, oleum aniſi, aliaque applicare vellet, ſanguinis, quæ ſubſunt, commotiones iisdem valde augerentur, ac infelix ipſius eruptio per pulmones promoveretur; accedentibus deinde travmaticis ſeu antiphthiſicis & adſtringentibus, ſangvis in pulmonibus extravasatus retineretur; ex quo inflammatio pulmonum peripneumonia, aut vomica, tandem vero phthiſis ſequitur. Si vero quis huic affectui, reſpectu materiæ & motus non incongrue obviam vellet ire, neque tamen, ut intentioni Naturæ, excretionem ſanguinis molientis, conuenienti ratione ſatisfaceret, ſollicitus eſſet, neque venæ ſectionem inſtitueret; ille vel fruſtra laborabit, vel leviter tantum ſymptomata palliabit. Quod ſi enim ſenſus Naturæ leviter tantum tangeretur & commotio quædam ſanguinis

vel

vel ab animi pathematibus, vel a corporis motu, vel a potu vini, vel ab externo aeris calore existeret, natura statim pristinæ intentionis memor, sopitum motum repeteret, ipsique deinde eo pertinacius insisteret.

§. XIV. Ita res etiam sese habet cum ceteris morbis, originem suam ex hæmorrhagia quadam vel intercepta vel neglecta ducentibus, v. gr. in capitis doloribus, inflationibus aut inflammationibus erysipelaceis, in dentium, auriumque doloribus, in hemicraniis, vertigine etc. quæ hæmorrhagiam narium suppressam vel immediate, vel demum elapso quodam tempore sequuntur: aut quæ etiam absque prægressa hæmorrhagia in corporibus plethoricis proueniunt; in his recensitis morbis, nec non in rheumatismis, motibusque spasticis & arthriticis universum corpus pervadentibus, in erysipelatibus periodicis, in apostematibus in corpore hinc inde emergentibus, in adfectibus scabiosis etc. a venæsectionum ac scarificationum consuetarum neglectu proficiscentibus: nec non in adfectibus hypochondriacis, spleneticis, flatulentis, colicis, ischiadicis, nephriticis, histericis, immo in ipsa arthritide, pleuritide spuria, podagra, gonagra, chiragra etc. ab hæmorrhoidum obstructione vel retentione, vel mensium suppressione enatis.

(b) in moliminibus ad hæmorrhagias narium

(c) in moliminibus propter venæ sectionis aut scarificationis neglectum institutis

(d) in moliminibus hæmorrhoidalibus & menstruis

§. XV. In omnibus hisce enumeratis morbis, si venæ sectio, aut pro circumstantiarum discrimine scarificatio negligitur, nec pristina sanguinis euacuatio revocatur, partim ea noxa verenda est, quam in præcedenti §. indigitavimus, partim multa adhuc alia damna verenda sunt, incongrua inprimis curatione accedente, quæ intentioni Naturæ resistit. Et quidem 1) si medicamentis stupefactiuis, narcoticis, opiatisque positiuis ipsis occurritur, morbus ita invertitur, ut motibus illis adfectus so-

§. per ipsum præposterum usum medicamentorũ (a) stupefactiuorum narcoticorum

(b) Antiscorbuticorum acrium

(c) neruinorum calidorum, volatilium oleosorum

(d) martialium

(e) carminatiuorum calidorū, spirituosorum

(f) acrium pellentium

soporosi, vertigines, imbecillitas memoriæ, partium tremores, paralyses, aridurae, succedant. 2) Si nonnulli eorum, ut rheumatismus, motusque spastici & arthritici pro scorbuto reputantur, & adversus illos medicamenta antiscorbutica, acria, cum regimine sudorifico adhibentur, morbi humorum nimia commotione, valde augentur. 3) Quod si etiam adversus eosdem medicamenta neruina nimis calida, volatilia, oleosa applicantur, quam incongrue id fiat, quilibet perspiciet, qui ad motuum eorum indolem respicit, & ad sanguinis commotionem, quæ cum hisce morbis conjuncta esse solet. Id quod experientia comprobat. Omnia enim eo curandi modo deteriora efficiuntur, dolores exacerbantur, morbusque fouetur & protrahitur. 4) Adfectus hypochondriacos, spleneticos, hepaticos, martialibus incongrue tractari, & quæ inde noxa veniat, supra §. 5. jamtum expositum fuit. 5) Si in adfectibus colicis ac flatulentis ex prædicta causa enatis calida carminatiua, spirituosa adhibentur, flatus multiplicantur, passioque colica potius augetur, quam imminuitur. 6) Adfectus ischiadici atque nephritici, si ex errore pro calculo habentur, & medicamentis calidis, acribus, pellentibus corrumpuntur, in mictum cruentum & calculum abeunt.

Noxa ubi agitur contra motus utiles necessarios & quidem

1. in febribus inflammatoriis per narcotica

2. in aliis febribus

§. XVI. Noxa etiam grauissima esse solet, quando curatio immediate contra motus, in morbis sese exserentes, instituitur. Si quis in febribus inflammatoriis, pleuritide, peripneumonia, hepatitide, nephritide etc. motum inflammationis, & ex eo provenientes dolores narcoticis sopire susciperet, mortem inferret. In aliis etiam febribus tam in malignis quam in benignioribus, opiatorum usus, pro circumstantiarum discrimine vel funestus, vel certe noxius deprehenditur. Hinc Sydenhamius experien-

tia

tia doctus & fretus, eorum usum in febrium incremento atque statuprohibet, & ante nonum vel duodecimum diem absque noxa abhiberi ea non posse testatur. Qui per opiata mederi febribus conantur, iis videntur similes, qui dum quendam a latronibus inuasum, eumque in vitæ periculum coniectum viderent, opem ipsi allaturi, accederent, ac manus ipsius pedesque ligarent, ne contra hostem suum agendo, robur, viresque perderet, sed ut integris viribus trucidaretur. Ita sane comparati sunt, qui hostem Naturæ, materiam nempe febrilem, præteeundo, motibus tantum febrium aut inflammationum utilibus, immo necessariis, narcotica opponunt. Hoc non de ea tantum curationis methodo intelligimus, qua contra universum morbum pugnatur, sed etiam, si medici intentio in usu opiatorum aduersus nonnulla tantum symptomata directa est, v. gr. adversus agrypniam, anxietates, capitis dolores etc. Virtus enim narcoticorum ad certas tantum corporis partes restringi non patitur, sed per universum motuum vitalium negotium sese diffundit. Noxa, quæ exinde promanat, ex hactenus dictis facile cognosci potest. Necessarii enim motus vel sufflaminantur, vel omnino suspenduntur, & segnities ac stupor in ipsam etiam Naturam inducitur, quo illa muneri suo recte obeundo impar euadit. Inprimis alui obstipatio, ac suppressio urinæ infelici utplurimum successu, sequuntur, ægrotantes languore somnoque lethargico circa dies excretionis adficiuntur, aut ad febres lentas ac hecticas præparantur: in inflammatoriis vero corruptio sphacelosa in parte adfecta facillime succedit.

§. XVII. In scorbuto, in lue venerea, in ulcere pedum, scabie, crusta lactea etc. noxa efficitur, si repellentia adhibentur, unguinosa, pingvia etc. siquidem hac ratione fe-

3 in quibusdam aliis morbis per repellentia, unguinosa pingvia.

bres, tum ores, asthma, surditas, coecitas, epilepsia, tussis, phthisis, multaque alia incommoda facile gignuntur. In Actis Nat. Curios. Ann. II. pag. 314. recensetur, dysenteriam lethalem, ob ulcus pedum curatum; item epilepsiam propter eandam caussam; ex scabie sicca retropulsa, asthma & hydropem; ex scabie humida Dispnoeam, & paullo post suffocationem, exorta esse.

4 in vomitu

§. XVIII. Vomitus præmature cohibitus relinquit cardialgiam, ventriculi imbecillitates, turbas circa digestionem, languorem totius corporis, aut febrim tertianam.

5 in diarrhoea

Diarrhoea intercepta parturit passiones colicas, flatulentas, abdominis duritiem, capitisque perturbationem.

6 in hæmorrhagis per adstringentia & opiata

Noxa, quæ ex hæmorrhagia narium, & fluxu hæmorrhoidali, aut mensium, adstringentium vel opiatorum usu inepte suppressis, promanare solet, ex superiori §II peti potest.

Noxa, quæ ex motuum erroneorum promotione venit, & quidem

1 in Congestione humorum circa caput

§. XIX. Quemadmodum ergo læsiones tam variæ, tam graues oriuntur ex operationibus, quæ adeó necessariæ, utilesque sunt, impeditis: ita noxa etiam non leuis inde est, si operationes illæ erroneæ promouentur. Hoc accidit, si in congestionibus humorum circa Caput & in catarrhis, exinde resultantibus, errhinorum ac sternutatoriorum abusu adfluxus humorum augetur, & confirmatur, qui potius deduci aliorsum debebat. Et quanquam iis usurpatis euacuatio quædam, hanc vero leuamen quoddam subsequi videatur, non diu tamen illud durat; siquidem qui iis utuntur leuissima quadam irritatione, humorumque commotione exorta, eodem adfectu denuo corripiuntur. Quid? quod repetita sæpius tali congestione, tanta, vel in partibus continentibus, ac solidis, vel in partibus contentis ac fluidis corruptio prouenit, ut nulla denique plenaria illius adfectus cessatio locum amplius inueniat.

§. XX.

§. XX. Eadem videntur metuenda in congeſtionibus humorum circa pectus, ſeu in adfectibus pectoralibus, quando expectorantium, ut vocant, abuſu adfluxus humorum ad pulmones, & excretio muciditatis per illos promovetur: hac ratione enim efficitur, ut Natura, ductum horum medicamentorum ſequens ordinaria excretionis loca relinquat, atque omnem muciditatis farraginem per pulmones educere laboret; quod absque viſceris hujus periculo, ac absque phthiſeos ſubſecuturæ metu fieri nequaquam poteſt. 2. in congeſtionibus humorum circa pectus

§. XXI. In humorum ad renes congeſtione, inprimis vero in inflammatione renum eryſipelacea, quam nephritidem vocant, non minus inſignis, ſæpiusque irreparabilis noxa producitur, ſi quis ex errore hunc affectum pro calculo habet, pellentibusque diureticis & lithontripticis calculi expulſionem machinatur. Quoniam enim dicta medicamenta acredine quadam pollent, primo irritationem in renibus efficiunt, humorumque affluxum copioſiorem reddunt, porro etiam renes, eorumque tenuia vaſa corrodunt, & ſangvinis extravaſationem ac effluxum ſeu mixtionem cruentam producunt. Dum vero vulnusculum renibus inflictum, ob continuam humoris ſalſi & urinoſi transſudationem ad conſolidationem pertingere non valet, in ulcus abit, cujus ſanies cum ſalina mucidaque urinæ parte concrescens, primum escharam, deinde vero calculum, qui absque tali incongrua medicatione non ortus fuiſſet, format, ægrotantemque ad ſempiternos quaſi dolores damnat: quanquam enim calculus ſemel avulſus ac excretus eſt, alius tamen illi ſuccedit, novusque ex eadem materia ſemper producitur. 3. in congeſtione humorum ad renes

§. XXII. Hæc pro inſtituto noſtro indicaſſe ſufficiant; Concluſio huius tractationis

ant. Qui ulteriorem harum rerum cognitionem ac informationem solidiorem desiderat, ex Dissertationibus Excell. D. D. Præsidis illam haurire poterit, ad quas B. L. dum sermonem de læsionibus ab incongrua curatione inflictis finimus, merito remittimus.

CAPUT VII.

DE

Methodo medendi, qua sensus Naturæ incongruus vel molestus evitatur.

§. I.

Methodus medendi generalis

DEmonstratis itaque læsionibus, ex incongrua medicatione propter sensum incongrue motum, Naturæque molestum proficiscentibus, adjiciendum quidem aliquid esset de methodo & ratione, qua medico in reparandis ejusmodi læsionibus utendum sit; quoniam vero hoc instituti nostri ratio non permittit, præterimus jam hanc tractationem, allegata tantum egregia Excell. D. D. Præsidis de Morbis corruptis Dissertatione, qua ille Therapiam harum læsionum suo more, id est, solidissime tradidit. Propterea in id potius enitemur, ut methodum medendi, quanquam in terminis tantum generalibus demonstremus, qua sensus Naturæ adversus seu incongruus evitari possit.

ostenditur

qua

Sensus Naturæ adversus seu incongruus evitatur.

§. II. Hoc quidem quam optime Medicus præstabit, si talem se exhibiturus est, qualem Cap. III. §. 9. depinximus, nempe si curationem ita instituat, ut ea cum opera-

perationibus Naturæ conveniat, atque adeo medicamenta congrua adhibeat; sic enim iucundum in Natura excitabit sensum; quo facto cupide auxilium, quod ipsi offertur amplectentem, & ad quascunque operationes subeundas promptissimam illam, ac obsequentem inveniet.

§. III. Dum autem nobiscum hæc pensitamus, gravissimum sese prodit obstaculum, curationem congruam vel prorsus impossibilem, vel difficillimam reddens, theoria nempe plurimorum de homine, de vita, de morbis, falsa, Medicorum seductrix, ægrortantium vero flagellum. Quis enim non perspicit, quanti errores, quanta incertitudo, quanta mendacia in tanto opinionum discrimine committantur, quæ certissima damna in praxin medicam non possunt non inferre. Hoc non ab ipsa medicæ artis veritate dependet, ac si illa in se spectata, tam obscura sit, ut perspici non possit, sed tenebricosa ac corrupta plerorumque mens in culpa est, quando quis non tam veritatis cupidus deprehenditur, quam contentus, si modo doctrina qualicunque imbuatur, quæ titulo doctrinæ medicæ recepta sit: aut quando quis curiositate magis, quam veritate delectatur. Quoniam vero evidentissimum est, conclusionem veram ex falsis præmissis per se provenire non posse, adeoque salutem ægrotantium in doctrina falsa seu imaginaria periclitari; hinc quemlibet, qui morbis mederi instituit, obstrictum esse putamus, ut illam de homine habeat cognitionem & sententiam, quæ sufficienti veritatis testimonio & in animo ipsius, & præcipue ab experientia stabilita, & comprobata sit. Quod si vero quis de veritate suæ doctrinæ per praxin dubius factus est, ille in conscientia obligatus est, omnem operam adhibere, ut meliori & certiori cognitione imbuatur; quam deinde vel ex viva manuductione,

Difficultas curationis legitimæ

eiusque caussæ

ne, vel ex eorum ſcriptis petere debet, quorum doctrina ſeu theoria experientiæ, certisque phænomenis practicis ſuperſtructa eſt, hanc enim ſi ſequatur doctrinam, ſuamque faciat, certus eſſe poteſt, ſuam, quam posſidet theoriam cum re ipſa convenire.

Signa theoriæ falſæ

§. IV. Documentum autem theoriæ vel falſæ, vel ſaltem inutilis ac ſupervacaneæ nobis ſit, ſi doctrina de motu, quæ lux eſt, & anima in cognitione medica, incongrue traditur, motusque corporis & animi tam longe ab invicem ſeparantur, ac ſi nulla ipſorum unio aut copula intercederet, animaque in corpore fruſtra lateret, aut tantum ſomniaret. Verendum eſt, ne ſi anima in theoria a corpore ſeparetur, ſeparatio illa multo magis in ipſa praxi fiat, ſi quidem praxis theoriæ debet correſpondere.

Querela de medicinæ corruptelis

§. V. Non poſſumus non hac occaſione dolorem noſtrum, quem ex tanta in perniciem ægrotantium, ſentiendi libertate percipimus, hisce conteſtari. Nobile enim eſt ſubjectum, Creatura Deo cara, circa quam medici verſatur cognitio & cura. Dolemus etiam illam plurimorum audaciam, qua hauſta quadam, aſt non ſufficienter expenſa cognitione, pro lubitu in corpus & vitam hominum agant, cujus tamen ultor, ſi frivole læditur, Deus eſſe ſolet. Non mihi unquam perſvadere poſſum, tantam homini a Deo, qui veritas eſt, qui mendacia odit, libertatem eſſe conceſſam, ut credere ipſi liceat, quicquid velit, & pro vero venditare, quicquid ſpecie quadam plauſibili queat colorari. Quodlibet enim peculiari ſuo gaudet fructu: veritas ſolatium ac utilitatem; mendacium vero, ſive craſſum illud ſit, ſive ſubtile, eo, quod mendacium eſt, ſemper nocet, verumque hominibus bonum conferre neutiquam valet. Hinc conſcientia Medici Chriſtiani ſub hoc quam maxime verſatur, ut ſollicitus

& modus eam tractandi

ſit,

ſit, non tantum de cognitione ac doctrina, ſed de ea vera atque utili, qua potens evadat, ad illius ductum curationes ſuas congrue ac ſalubriter inſtituere. Quicunque vero cognitionis ſuæ, quam mente concepit, veritatem, in experientia ipsa, ac praxi, oculis quaſi quotidie cernere poteſt, ille habet, de quo ſibi gratulari, Deumque laudibus prædicare debet.

§. VI. Poſito itaque fundamento, cui curationes inniti oportet, ſolido, neceſſarium eſt, ut Medicus & corporis & Naturæ indolem, ipſiusque in corpore opus probe perſpectum habeat, ut, quæ ipſi conveniant, vel non, & quænam ipſa abhorreat, aut admittere velit, recte intelligat. Tunc porro perſpiciat intentionem ſcopumque Naturæ in quolibet morbo præfixum, quidnam in ſingulis eorum operari aut efficere ſecum conſtituerit; quibusnam organis, & per quas vias ad finem tendere & pertingere ſoleat, quinam motus proprie ii ſint, quorum beneficio effectum aſſequitur, quinam vero accidentales quidem, ita tamen comparati ſint, ut ab iſtis eſſentialibus ſeparari ſeſe non patiantur. Tunc enim eo melius discernere poterit, quinam motus noxii, erronei, ſupervacanei appellari debeant, ſimulque quid agendum vel omittendum ſit, facile patebit.

Officia Medici 1. Corporis & animæ indolem intelligere

2. Naturæ intentionem ex motibus cognoſcere

§. VII. Neceſſe tamen eſt, ut motus ſupervacaneos ac inutiles a noxiis ſedulo diſtingvat, illosque, niſi cum pace Naturæ tolli posſint, toleret. Equidem optandum foret, ut non niſi neceſſarii ac utiles producerentur: quoniam vero hominis poſt lapſum proprium eſt, EXCEDERE: ita motus etiam tales non ſemper ſecundum neceſſitatis proportionem ſuccedunt; ſatius tamen eſt, ſuperflui quid, quanquam ægrotanti moleſtiam pariat, patienter ferre, quam Naturam perturbare & multos adhuc alios noxios ſuperinducere.

Motus naturæ a ſe invicem diſtingvere

4. Consvetudinis rationem habere

§. VIII. Inprimis autem in motibus perveſtigandis, ad conſvetudinem attendat: magnum enim eſt, quod illa ſibi incorpore jus vendicat; & dum conſuetudo altera quaſi eſſe ſolet Natura, nequaquam ipſi immediate reſiſtendum eſt: ſiquidem Natura conſuetudinem tenerrima fovet & obſeruat ſenſibilitate. Quid? quod motus illi alias quidem peſſimi effectus, malignitatem quaſi exuant, dum per conſuetudinem in Naturæ quaſi gremium recepti ſunt, ita ut tranquille, & absque ulla perturbatione a Natura exerceantur, & proinde metus periculi cujusdam ſubſecuturi prorſus abeſſe poſſit.

5. Accommodare ſe medicamentis naturæ & morbi indoli ac propoſito

§. *IX.* Morbo rite perſpecto, curationis methodum eam ſubjungat, quæ morbi indoli naturæque intentioni convenit, &, quoad fieri poteſt, iiſdem motibus, quos ipſa Natura produxit (niſi ea forte ex errore agat) prudenter, & cum judicio medico ad curationem perficiendam utatur.

6. Violentiam vitare

§. *X.* Ab omni violentia, niſi neceſſitas iubeat, omnino abſtineat, neque ſenſum, præcipue in acutis nimis pungat: omnia vero, quantum fieri poteſt, tranquille, debitisque adhibitis gradibus componat, & amice cum natura agat.

7. Medicamentorum vim exploratam habere

§. *XI.* medicamenta, quæ adhibere ſolet, probe habeat explorata, quomodo ſenſum Naturæ afficiant, & quantum in corpore agant, ut de eorum efficacia tutus ſemper, atque certus eſſe posſit. Ab illis vero, quorum effectus anceps, incertus, vel nonnunquam noxius eſt, prorſus abſtineat.

8. Modum tenere in adhibendis medicamentis

§. *XII.* Tutius etiam procedet, ſi doſes medicamentorum paruas adhibebit, ſæpius illas repetendo: ita enim Naturæ ſenſus non nimius provocatur; ſed ſucceſſive illa, ac tranquille ad operationes deſideratas ſubeundas perducitur.

9. Se ipſum, & curationem ſuam Deo committere

§. *XIII.* Ceterum univerſam curationem ſub præſidio Altisſimi adminiſtret, eique animum præbeat tranquillum, ſobrium, pium, quem ille ſancto occultoque Gratiæ ſuæ ductu, in cognitionem, in quolibet morbo neceſſariam, ac in veritatem perducere queat. Accidit enim, ut quis, optima etiam cognitione imbutus, ſi circa particulares morborum circumſtantias, & circa individua verſatur, a cognitione & conſilio nonnunquam deſeratur, & in errores delabatur, niſi tenebrarum nebulæ a ſupremo lumine in anima diſcutiantur.